



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Liber Secundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

M. FAB. QUINTILIANI
D E
INSTITUTIONE ORATORIA
LIBER SECUNDUS.

C A P. I.

Quando sit rhetori tradendus puer.

TENUIT consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiam Græcis interim, discipuli serius quam ratio postulat, traderentur. Ejus rei duplex est causa: quod & rhetores utique nostri suas partes omiserunt, & grammatici² alienas occupaverunt. Nam & illi declamare modo, & scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas judicialesque materias: nam cætera ut professione sua minora despiciunt: & hi non satis credunt excepisse quæ relicta erant (quo nomine gratia quoque his est habenda)³ sed ad *profopopæias* usque, & ad *suasorias*, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima: & ætas altioribus jam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricen apud gram-

Secundus liber complectitur prima apud rhetorem elementa, & ea quæ de substantia rhetorices quaruntur. *Turneb.*

¹ *Tenuit.*] Hac præfatione querit quo tempore sit rhetori tradendus puer, quod dici non potest, nisi distinctis grammatices ac rhetorices finibus. Nam *grammatici partes* quasdam rhetorum occupaverunt. est itaque principium *ἔξ ἑταρσιῶν*, quod ad eam conjecturam pertinet quæ exquirat rerum causas. *Idem.*

² *Alienas occupaverunt.*] Nam grammatici occuparunt *progymnasmata*, id est, prima rhetorices elementa, & materias demonstrativas. *Idem.*

³ *Sed ad profopopæias.*] *Profopopæias* hic appellat Fabius orationes suasorias, quæ non ex nostra persona, sed ex aliena apte dicuntur. in his autem (ut inquit Fabius libro tertio) ad difficultatem suasionis accedit *persona difficultas*. hujuscemodi sunt *suasiones* apud Livium & cæteros historicos. *Idem.*

grammaticos exerceat. Ita quod est maxime ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus videtur puer, quam declamare iam sciat. ¹ Nos suum cuique professioni modum demus. Et *grammaticæ* (quam in Latinum transferentes, ² *literaturam* vocaverunt) fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi consistere provecta. Nam tenuis à fonte, assumptis poetarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit: cum præter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium ³ maximarum artium scientiam amplexa sit. Et ⁴ rhetorice, cui nomen vis eloquendi dedit, officia sua non detrectet, nec occupari gaudeat pertinentem ad se laborem: quæ dum operæ cedit, iam pene possessione depulsa est. ⁵ Nec inficiabor, ex iis aliquem qui *grammaticen* profitentur, eousque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat: sed cum id ager, rhetoris officio fungetur, non suo. ⁶ Nos porro quærimus, quando iis quæ *rhetorice* præcepit, percipiendis puer maturus esse videatur. In quo quidem non id est æstimandum, cuius quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Et ne diutius differam quando sit rhetori tradendus, sic optime finiri credo, ⁷ cum poterit. Sed hoc ipsum ex superiore pendet quæstione. Nam si grammatices munus usque ad suasorias (quæ ⁸ sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi) prorogatur, tardius rhetore

¹ *Nos suum cuique.*] Subjicit distributionem & distinctionem finium utriusque artis, ut inde colligat ecquando rhetori sit puer tradendus. *Idem.*

² *Literaturam.*] Grammatici initio duntaxat primas litteras docuerunt, mox assumpserunt bene loquendi & scribendi scientiam, demum poetarum & historicorum enarrationem occuparunt. *Idem.*

³ *Maximarum artium.*] Politianus quoque in *Lamia* annotat grammaticum esse debere omnium artium peritum, ut

sit in eo *encyclopaedia*. *Idem.*

⁴ *Rhetorice.*] Cicero in *Oratore*.

⁵ *Nec inficiabor.*] Prolepsis est, quam solvit per *paradiastolen*. *Furneb.*

⁶ *Nos porro quærimus.*] Hoc caput est totius hujus quæstionis. Quando autem puer tradendus sit rhetori, non ætate, sed profectu metitur. *Idem.*

⁷ *Cum poterit.*] More suo Fabius arguto noëmata sententiam suam perstringit. *Idem.*

⁸ *Sunt, &c.*] Hæc parenthesis non est in vetustis codicibus scriptis.

tore opus est. Si rhetor prima operis sui officia non recusat, ¹ à narrationibus statim, & laudandi vituperandique opusculis cura ejus desideratur. An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut ² theses dicerent, & communes locos, & cætera circa complexum rerum personarumque, quibus veræ fictæque controversiæ continentur? Ex quo palam est quam turpiter deferat eam partem rhetorices institutio, ³ quam & primam habuit, & diu solam. Quid autem est ex iis de quibus supra dixi, quod non tum in alia quæ sunt rhetorum propria, tum certe in illud judiciale causæ genus incidat? An non in foro narrandum est? qua in parte nescio an sit vel plurimum. Non *laus ac vituperatio* certaminibus illis frequenter inferitur? Non *communes loci*? sive qui sunt in vitia directi, quales legimus à ⁴ Cicerone compositos: seu quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi à Quinto quoque Hortensio: ut, sitne parvis argumentis credendum, & pro testibus, & in testes, in mediis litium medullis versantur. Arma sunt hæc quodammodo præparanda semper, ut his, cum res poscet, utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuat quidem inchoari credet, cum ejus membra fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumnietur, tanquam eum qui sit rhetori tradendus, abducendum protinus à Grammaticis putem. Dabuntur illis tum quoque tempora sua: neque erit verendum, ne ⁵ binis præceptoribus oneretur

1 *A narrationibus.*] *Narrationes fabulosas.* Quintilianus *grammaticis* reliquit libro primo: *historicas* autem & civiles hic *rhetori* reservat. Turneb.

2 *Theses, & communes locos.*] *Theses* Fabius appellat quæstiones infinitas, quæ in utranque partem probabiliter tractantur. hoc genere exercitationis utebantur Ciceronis ætate: ac tum appellabant *thesis*, ut inquit Seneca, quas nunc appellamus *declamationes*. *Communes* autem *loci* interdum generales sunt

tractatus de virtutibus & vitiis; interdum generales formula quæ affirmative & negative disputantur: interdum quoque ita appellantur *loci inartificiales*. Idem.

3 *Quam & primam habuit, &c.*] Suetonius enim tradit, antiquos rhetores duntaxat circa *progymnasmata* esse versatos. Idem.

4 *Cicerone.*] Ut in paradoxis.

5 *Binis.*] Pro duobus.

retur puer. Non enim crescet, sed dividetur qui sub uno miscbatur labor: & erit sui quisque operis magister utilior: quod adhuc obtinent Græci, à Latinis omissum est: & fieri videtur *excusate*, quia sunt qui labori isti successerunt.

C A P. II.

De moribus & officiis præceptoris.

ERgo cum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut quæ prima esse præcepta rhetorum diximus, mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit. Quorum in primis ¹ inspicere mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum ² libro priore: sed quod ³ magis necessariam ejus rei mentionem facit ætas ipsa discentium. Nam & adulti fere pueri ad hos præceptores transferuntur, & apud eos juvenes etiam facti perseverant, ideoque major adhibenda tum cura est: ut & teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, & ferociore à licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est summam præstare abstinentioniam, nisi disciplinæ severitate convenientium quoque ad se mores adstrinxerit. ⁴ Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum à quibus sibi liberi traduntur, existi-

Quemadmodum libro primo grammatici mores & officium est executus, ita nunc quoque qualem esse oporteat rhetorem docet: à quo primum morum probitatem exigit, docetque quo sese pacto erga discipulos gerere debeat. est itaque hoc caput totum paræneticum. *Turneb.*

¹ *Inspici mores.*] Justinianus quoque præcipit ut doctores artium primum bene morati sint, deinde facundi. & hoc nomine Socratis schola fuit infamata, quod obesse bonis moribus videretur. *Idem.*

² *Sed quod.*] Cap. 1. & 2.

³ *Magis necessariam ejus rei.*] Nam jam grandiores committuntur rhetori, cum ætas est maxime in lubrico, & (ut ait Xenophon) eo tempore vel vitii vel virtutis iter capessere solent. *Turneb.*

⁴ *Sumat igitur.*] *Paræneses* sunt, id est, *admonitiones*, quibus instructus esse debet præceptor ut recte doceat. eo autem animo fuit Aristotel. in discipulum Alexandrum: & Alexander quoque non minus debere se Aristoteli fatebatur, quam patri, cum ab hoc vitam, ab altero rectam vitam accepisset. *Idem.*

I Nota

existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. ¹ Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de *honesto ac bono* sit sermo. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum quæ emendanda erunt, dissimulatur, simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. ² In emendando quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus. nam id quidem multos à proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgat, quasi oderit. Ipse aliquid, imo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum exlectione suppeditet, ³ tamen *viva illa*, ut dicitur, *vox alit plenius*, ⁴ *præcipueque præceptoris, quem discipuli, si modo recte sunt instituti, & amant, & verentur.* Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos quibus favemus. Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque, assurgendi exultandique in laudando licentia: quinetiam juvenum modicum

¹ Non austeritas.] Enthymema est secundo modo, id est, sententia cum ratione. significat autem præceptorem debere severitatem quadam comitate temperare. Idem.

² In emendando.] Hujusmodi fuit Orbilius Horatii præceptor, non solum acerbus in antisophistas, verum in discipulos omnes, adeo ut vix esset tolerabilis. Idem.

³ Tamen viva illa.] Viva vox, dicitur vivida & efficax, & ab ore pronunciantis percepta, ad differentiam scripturæ & librorum, qui appellantur *magistri muti*. unde Gellius, quoniam, inquit, *vivæ* (ut dicitur) *vocis penuria erat, ex mutis* (quod ajunt) *magistris cognoscerem.* Idem. Tamen Viva illa.] Ζώ-

ως φωνῆς μετ᾽ ἄνθρωπον, ajunt Græci, estque apud Cic. 2. Ep. ad Attic. *Camer. Viva illa vox alit plenius.*] Sic Plin. 1. 2. Epist. 3. *serio hortatur Nepotem suum, ut Isaacum summa facultate, copia & ingenii ubertate præditum, auditum veniat, quum viva vox magis afficiat.* D. Hieronym. in Epist. ad Paulinum: Habet, inquit, nescio quid latentis energix *VIVA VOX.* Plutachus libello *Ἐπι ἀρχαίας*. Keckerman. Præcognit. Philosoph. p. 57. Seneca Epist. 6. *Viva illa, ut dicitur vox.*] Cic. lib. 2. Epistol. ad Attic. *Pithæus.*

⁴ Præcipueque præceptoris.] Ms. Palat: *Præcipueque ejus præceptoris.* Gebhard. Crepund. libro 2. capite 9. p. 81.

dicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex iudicio præceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. ¹ Illa vero vitiosissima, quæ jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora & theatralis, & severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim videtur cura, ac labor, parata, quicquid effuderint, laude. Vultum igitur præceptoris intueri, tam qui audiunt, debent, quam ipse qui dicit. Ita enim probanda atque improbanda discernet: ² sic stylo facultas continget, auditioni iudicium. At nunc prona atque succincti ³ ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verumetiam excurrunt, & cum indecora exultatione conclamant. Id mutuum est, & ibi declamationis fortuna. Hinc tumor & vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum à præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque præceptores intente ac modeste audiri velint. Non enim iudicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quæ quisque & quomodo laudet: & placere quæ bene dicet, non suo magis quam eorum nomine delectetur, qui recte iudicabunt.

Pueros adolescentibus sedere permittos, non placet mihi. Nam etiamsi vir talis, qualem esse oportet studiis moribusque præpositum, modestam habere potest etiam iuventutem, tamen vel infirmitas à robustioribus separanda est: ⁴ & *carendum non solum crimine turpitudinis, verumetiam*

suspi-

¹ *Ille vero.*] *Humanitas* significat dexteritatem quandam qua erga homines afficimur. tempore etiam Fabii in malam accipiebatur partem, significabatque propensorem in laudando & approbando facilitatem, quæ pene adulatoria erat. *Turneb.*

² *Sic stylo facultas continget.*] Hinc fiet ut & qui declamat, stylum suum

formare possit, & facultatem dicendi adipisci, & qui audiunt, non temere iudicent & approbent. *Idem.*

³ *Ad omnem clausulam.*] Vel *clausulam* accipere debemus pro sententia arguta, quæ in fine sermonis adjicitur vel etiam pro *conclusionione*. *Idem.*

⁴ *Et carendum non solum, &c.*] Alludit ad Cæsaris apophthegma, qui cum uxorem

suspicione. Hæc notanda breviter existimavi. Nam ut absit ab ultimis vitiis ipse præceptor, ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac si quis est qui flagitia manifesta in deligendo filii præceptore non vitet, jam hinc sciat cætera quoque quæ ad utilitatem juventutis componere conamur, esse sibi hac parte omiſſa supervacua.

uxorem Pompejam repudiaret, quod ea à Clodio adulterata fuisset, neque rem certo sciret, dixit *Cæsaris domum non solum crimine, sed etiam criminis suspicione carere debere. Idem.*

C A P. III.

An protinus præceptore optimo sit utendum.

NE illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui etiam cum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent: tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atque imitationem faciliior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba. Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis quæ semel infederint vitiis, difficultas consequatur: cum geminatum onus succedentes premat, & quidem dedocendi gravius ac prius quam docendi. Propter quod Timotheum clarum in arte tiliarum, ferunt *duplices ab iis quos alius instituisse, solitum*

Postquam de moribus egit, nunc de eruditione disputat, ac thesin qualitatis ex comparatione tractat: & refutatis aliorum opinionibus, colligit optimo rhetori statim esse committendos pueros. *Turneb.*

1 *Cum ad intellectum.] Intellectus præstat cognitionem faciliorem theorematum artis: imitatio vero, quæ habet adjunctam exercitationem, suppeditat praxin. Idem.*

2 *Cum geminatum onus succedentes.] MS. Palat. Dedocendi gravius plus quam*

docendi. Succedere hic ἀραδίζεσθαι. Sic Agellius lib. 7. cap. 8. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9. p. 82.

3 *Propter quod Timotheum.] Timotheus Milesius, tempore Philippi & Alexandri, optimus fuit musicus. Hic addidit lyrae decimam & undecimam chordam. Turneb.*

4 *Duplices ab iis, &c.] Sic Liv. I. VII. quicquid hinc aut illinc communis Mars bello aufert multiplex quam pro numero damnum est. Pith. Duplices.] Pro duplo majores.*

x Bona

solitum exigere mercedes, quam si rudes traderentur. Error tamen est in re duplex. Unus, quod interim sufficere illos minores existimant: & ¹ bono sane stomacho contenti sunt. Quæ quanquam & ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcunque tolerabilis, si ejusmodi præceptores minus docerent, non pejus. Alter, ille etiam frequentior, quod eos qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam: interim, quia omnino non possint. ² Ego porro eum qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maxime, si velit optimum quenque contendo. Primum, quod eum qui eloquentia cæteris præstet, illa quoque per quæ ad eloquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est: Deinde, quia plurimum in præcipiendo ³ valet ratio, quæ doctissimo cuique planissima est. Postremo, quia nemo sic in majoribus eminet, ut eum minora deficient. ⁴ Nisi forte ⁵ Jovem quidem Phidias optime fecit, illa autem quæ in ornamentum operis ejus accedunt, alius melius elaborasset: aut orator loqui nesciet: aut leviores morbos curare non poterit medicus præstantissimus. Quid ergo? non est

¹ Bono sane stomacho.] Metaphora est à cibus ducta. nam quemadmodum qui optimo sunt stomacho, delectum ciborum non habent; contra qui malum, *eustomacha* quærunt & concoctu facilia: ita quoque parentes, filiorum ingenio freti delectum præceptorum non habent. Turneb.

² Ego porro.] Refutat causas per *enstasim*. Idem.

³ Valet ratio.] Videtur Fabius nomine *rationis* intelligere methodum, quam Latini modo esse *rationem*, modo *viam artis* vertunt. Significat igitur doctum præceptorem magis esse *methodov*, indoctum contra magis *aprobodov*. Idem.

⁴ Nisi forte.] Phidias Atheniensis fuit,

statuarius excellentissimus. is Jovem Olympium ex ebore & auro fecit, quæ statua primatum tenet. Per ea autem quæ ad ornamentum adduntur, intelligit *πρόσθετα*, quæ adjiciuntur præter opus: cujusmodi sunt *flores*, *opus topiarium*, *animalcula*, & cætera hujusmodi. Idem.

⁵ Jovem quidem Phidias.] Magna fuit in admiratione hoc Phidiæ opus, quod & ipsi auctori, valde placuisse apparet: interrogatus enim quo fuisset exemplo usus in exprimenda divina illa majestate, pronuntiasse Homericos versus dicitur ex Iliad. 2. *Camerarius*. Phidias.] Vide Pausaniam Heliæcon primo.

est quædam eloquentia major quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego vero confiteor: sed hunc disertum præceptorem, prudentem quoque & non ignarum docendi esse oportebit, summittentem se ad mensuram discantis: ut velocissimus quisque si forte iter cum parvulo faciat, det manum, & gradum suum minuat, nec procedat ultra quam comes possit. Quid si plerunque accidit ut faciliora sint ad intelligendum, & lucidiora multo, quæ à doctissimo quoque dicuntur? Nam & prima est eloquentiæ virtus, *perspicuitas*, & quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur: ut statura breves, in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & ¹ tinnulos, & quocunque alio ² cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur: & ³ recto itinere lapsi, plerunque divertunt. Erit ergo obscurior etiam quo quisque deterior. Non excidit mihi, scripsisse me in ⁴ libro priore, cum potioem in scholis eruditionem esse quam domi dicerem, libentius se prima studia tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum, quæ facilior esset, erigere. quod à quibusdam sic accipi potest, tanquam hæc, quam nunc tueor, sententia priori diversa sit. Id à me procul aberit. nanque ea causa vel maxima est cur optimo cuique præceptori sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari: aut si quid erraverint, statim corrigentur: at indoctus ille etiam probabit fortasse vitiosa, & placere audientibus

judi-

¹ *Tinnulos.*] *Tinnuli* sunt, qui exiliter & deducte sonantes dictiones venantur. Sic Tacitus appellat *Gallionis tinnitus*. quanquam hoc etiam ad pronunciationem referri potest. *Turneb.*

² *Cacozelia.*] Prava imitationis: ut si quis in oratione horrorem vetustatis Salustianæ: in carmine similiter asperitatem Catullianam, aut Propertii in-

compositos versus dicat se imitari. *Camerar.*

³ *Recto itinere lapsi pler. div.*] *Rectum* iter, est via illa tendens recta linea adducens ad propositum terminum sine ambiguitate atque errore. sic inf. eodem libro cap. 17. & lib. 2. cap. 13. lib. 3. c. 6. Gebhard. *Crepund. l. i. c. i. pag. 58.*

⁴ *Libro.*] Cap. 2.

x Sit

judicio suo coget. ¹ Sit ergo tam eloquentia quam moribus præstantissimus, qui ad ² Phœnicis Homerici exemplum dicere ac facere doceat.

¹ *Sit ergo.*] Generalis est conclusio utriusque capitis. *Turneb.*

² *Phœnicis Homerici.*] Libro nono Iliados in legatione ad Achillem Phœnix Achillis pædagogus ait se illi du-

ctum esse à Peleo ut eum efficeret & verborum oratorem & rerum actorem. *Turneb. Phœnicis Homerici.*] Hoc Cic. de Oratore 3. Ut ille apud Homerum Phœnix. *Camerar.*

C A P. I V.

De primis apud rhetorem exercitationibus.

⁴ **H**inc jam quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam: dilata parum per illa, ¹ quæ sola vulgo vocatur, *arte rhetorica*. Ac mihi opportunus maxime videtur ingressus ab eo cujus aliquid simile apud grammaticos puer didicerit. ² Et quia narrationum, excepta qua in caussis utimur, tres accipimus species: *fabulam*, quæ versatur in tragædiis atque carminibus, non à veritate modo, ³ sed etiam à forma veritatis remotam: *argumentum*, quod falsum, sed vero simile comædiæ fingunt: *historiam*, in qua est gestæ rei expositio: grammaticis autem poëticas dedimus: ⁴ apud rhetorem initium sit historia, tanto robustior, quanto verior. Sed narrandi quidem quæ nobis optima ratio videatur, tum demonstrabimus, cum de judiciali parte

DE *progymnasmatibus* quæ sunt prima apud Rhetorem elementa, ante justum declamationis opus agit, primumque de narratione, non illa quidem civili, quæ pars est inventionis, sed historica. nam fabulosas narrationes grammaticis libro primo dedit, atque ita rhetorum officia cum officiis grammatici conjungit. *Turneb.*

¹ *Quæ sola.*] Accipio de præceptionibus Rhetoricis. Nam illas *artem* vocare solemus. *Camer.*

² *Et quia narrationem.*] Fabius hoc

loco sequi videtur eum qui scripsit *Rhetoricam ad Herennium*. nam cum ille divideret narrationem in civilem, digressoriam, & illam quæ remota est à causis civilibus, hanc postremam in tres has partes diduxit. *Turneb.*

³ *Sed etiam à forma.*] Ut fabula Atræi & Thyestis, Medæ, Iphigeniæ, & totæ narrationes *μετὰ μὲρ φόρων*. Cicero Rhetor. I. *Camer.*

⁴ *Apud Rhetorem initium sit historia.*] Vide Casauboni Commentar. ad Persii Sat. I. pag. 113.

¹ *Interia*

parte dicemus. ¹ Interim admonere illud satis est, ut sit ea neque arida prorsus atque jejuna: (² nam quid opus erat tantum studiis laborem impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur?) neque rursus sinuosa, & accersitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poëticae licentiæ ducuntur, lasciva. ³ Vitium utrunque: pejus tamen illud quod ex inopia, quam quod ex copia venit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari potest: melior autem est indoles læta, generosique conatus, & vel plura iusto concipiens interim spiritus. ⁴ Nec unquam me in his discentis annis offendat si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curæ velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, & fatiari velut quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adstringat. Hinc spes roboris. ⁵ Maciem nanque & infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, & inueniat, & inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca & severa. ⁶ *Facile remedium est ubertatis, sterilia nullo labore vincuntur.* Illa mihi in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium ⁷ iudicio præsu-

¹ *Interim admonere illud.*] Aphthonius narrationem habere debere ait, *claritatem, brevitatem, persuasionem, & verborum electionem*: Fabius paulo locupletiore esse vult, quoniam (ut scribit libro quarto) satius est narrationi aliquid superesse quam deesse, præsertim in pueris, quos minime aridos esse conuenit. *Turneb.*

² *Nam quid opus erat tantum studiis laborem.*] Mss. Palat. *Tantum studiis laboris impendere.* Et inf. lib. eodem c. 6. Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 8. p. 79.

³ *Vitium utrunque.*] Utitur egressione Fabius, ac vitium jejunitatis & copiam inter se comparat, aitque in puero potiore esse copiam quam ariditatem. *Turneb.*

⁴ *Nec unquam.*] *Stylus* hic est quem

Cicero Sophistis tribuit, qui acutus sententiis & metaphoris floridis abundat: in quo eminet Isocrates. *Idem.*

⁵ *Maciem nanque.*] Infantes esse solent vulgo humidiores & corpulentiores, ideoque membris minus expressis & formatis, sed paulatim ætate adolescente incipiunt membra figurari. quod si initio bene figurata fuerint, cum crescent exilia reddentur & imbecilla. *Idem.*

⁶ *Facile remedium ubertatis.*] Sic Seneca lib. 4. *Controvers.* 25. quem vide.

⁷ *Judicia præsumitur.*] Quemadmodum Fabius libro primo *præcox ingenium* damnabat, ita nunc quoque præcox iudicium, quod de ingenii fertilitate aliquid refecet. Intelligi etiam hoc modo locus poterit, cum aliquis non ingenii

H

dexteri-

præsumitur. ¹ Materiam esse primum volo vel abundantio-
rem, atque ultra quam oporteat fusam. ² Multum inde deco-
quent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso
deteretur, sit modo unde excidi possit, & quod exculpi,
erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxe-
rimus, & quam cœlatura altior rumpat. Quod me de his
ætatibus sentire minus mirabitur, qui apud ³ Ciceronem le-
gerit, *Volo enim se efferat in adolescente fecunditas*. Quapro-
pter in primis evitandus, & in pueris præcipue, magister
aridus, non minus, quam teneris adhuc plantis siccum &
sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, & vel-
ut terram spectantes, qui nihil supra quotidianum sermo-
nem attollere audeant. ⁴ Macies illis pro sanitate & iudicii
loco infirmitas est: & dum satis putant vitio carere, in id
ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mi-
hi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu sta-
tim austera sint: sic & ⁵ annos ferent, & vetustate profi-
cient. ⁶ Ne illud quidem quod admoneamus indignum est,
ingenia puerorum nimia interim emendationis severitate deficere:
nam & desperant, & dolent, & novissime oderunt: &
quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur.
⁷ Quod etiam rusticis ⁸ notum est, qui frondibus teneris

NON

dexteritate, sed iudicii præsumptione
& conceptione nititur. *Turneb. Iudicio
præsumitur.*] Hoc est, ubi ingenium ju-
dicio constat seu concipitur. Ingenii
enim naturalis est vis, iudicium studio
paratur. *Camerar.*

¹ *Materiam, &c. fusam.*] Metaphora
ducta est à fusoribus & excusoribus, qui
per conflationem opera ex metallis con-
ficiunt.

² *Multum inde decoquent anni, &c.*] *Decoquere*, est minuere, detrahere. Ita
& docti scripta sua, ubi semel illa effu-
derunt, diligenter castigant, plurima
detrahendo. Vide *Casaub. ad Persf. pag.*
159. &c.

³ *Ciceronem.*] II. De Orat.

⁴ *Macies illis.*] Quia graciliter dicunt

& humiliter, neque sermonem attolle-
re audent, huiusmodi infirmitatem di-
cendi esse optimam putant, optimum-
que iudicant vitio copiam carere. *Turneb.*

⁵ *Annos ferent.*] *Vinum dicitur annos
ferre*, quod inveteratum & diutius as-
servatum non degenerat. contrario mo-
do dicitur *vinum sugere*, quod ætati ce-
dit, & sensim vapescit. *Idem.*

⁶ *Ne illud.*] Hoc paræneticum est,
admonetque ne præceptor in emendan-
do sit severior. *Idem.*

⁷ *Quod etiam rusticis.*] *Collumella*
quoque præcipit, cum erunt teneræ
plantæ, vel teneri etiam turiones vi-
tium, si quid auferendum sit, *pampine-
tur manu, non etiam ferro.* *Idem.*

⁸ *Notum est.*] *Virgil. Georg. 2.*

I. Totas

non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, & cicatricem nondum pati posse. Jucundus ergo tum maxime debet esse præceptor, ut remedia, quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua, ferre quædam, mutare etiam, reddita cur id fiat ratione: illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, ¹ totas ipsum dictare materias, quas & imitetur puer, & interim tanquam suas amet. At si tam negligens ei stylus fuerit, ut emendationem non recipiat: expertus sum prodesse, quoties ² eandem materiam rursus à me tractatam, scribere de integro juberem: posse enim eum adhuc melius. quatenus nullo magis studia quam spe gaudent. Aliter autem alia ætas emendanda est, & pro modo virium exigendum, & corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris aliquid ausis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc, venturum tempus quo idem non permetterem. ita & ingenio gaudebant, & judicio non fallabantur. ³ Sed ut eo revertar, unde sum egressus: *Narrationes* stylo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo. Nam ut primo cum sermo instituitur, dicere quæ audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem, ideoque & retro agere expositionem, & à media in utranque partem discurrere sane merito cogantur, sed ad præceptoris gremium, & dum aliud non possunt, & dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment: ⁴ ita cum jam formam rectæ atque emendatæ orationis accipient,

¹ *Totas ipsum dictare materias.*] *Materias* appellat Fabius, quæ Græci appellant *themata*, nos etiam *argumenta* & *proposita* dicimus. totas præceptor materias dictat, cum argumentum ita fufe explicat, ut nihil relinquat quod ad rei tractationem pertineat. *Turneb.*

² *Eandem materiam rursus à me tractatam.*] Vide Gebhard. *Crepund.* libro 2. cap. 9. qui ex MS. Palat. leg. *retractatam.*

³ *Sed ut eo revertar.*] *Epanodos* est ad

rem propositam. Porro diligentiam styli in narrationibus exigit, quod cum hoc progymnasma nos præparet ad narrationes civiles, eas oportet esse diligenter compositas, ut nihil judicem læreat. alioqui enim, ut ait Fabius, confirmationi hoc oberit. *Turneb.*

⁴ *Ita cum jam.*] Fabius ita præcipit, ut pueri primum loqui discant, & verba connectere: deinde recte & emendate loqui: postremo ex tempore dicere.

Idem.

cipient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio
 & vix surgendi mora, circulatoriæ vere jactationis est,
¹Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipsis vero
 contemptus operis, & inverecunda frons, & consuetudo
 pessime dicendi, ²& malorum exercitatio, &, quæ ma-
 gnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se
 persuasio innascitur. Erit suum ³parandæ facultati tempus,
 nec à nobis negligenter locus iste transibitur. Interim fa-
 tis est si puer omni cura, & summo quantum ætas illa ca-
 pit, labore, aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat,
 hujus rei naturam sibi faciat. Ille demum in id quod quæ-
 rimus, aut ei proximum poterit evadere, qui ante discet re-
 cte dicere, quam cito. ⁴Narrationibus non inutiliter sub-
 jungitur ⁵opus destruendi confirmandique eas, quod ἀναστροφῆς
 & ὑπεροστροφῆς vocatur. Id porro non tantum in fabulosis &
 carmine traditis fieri potest, verum etiam in ipsis anna-
 lium monumentis: ut si quærat an sit credibile super ca-
 put ⁶Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque
⁷hostis Galli rostro atque alis everberaret: sit in utranque
 partem ingens ad dicendum materia. ut de serpente ⁸quo
 Scipio

¹ Hinc par. imperit. inane gand.] Sed
 ut inania quædam gaudia, sic etiam sunt
 vera & solida: ut Seneca docet Epist. 59.
 lib. 8. & Fr. Jaretus ad Symmachi l. 1.
 Epist. 25. p. 24.

² Et malorum exercitatio.] Gebhard.
 Crepund. lib. 2. cap. 9. p. 82. ex MS.
 legit: malorum exortatio.

³ Parandæ facultati.] Facultatem ap-
 pellat Fabius, extemporalem dicendi
 facilitatem. de qua ager libri decimi
 capite septimo Turneb. Facultati.] Al.
 Facilitati.

⁴ Narrationibus non inutiliter.] De
 confirmatione & refutatione loquitur,
 ut sunt progymnasmata, non inventionis
 partes. locum habent, inquit Aphtho-
 nius, non in rebus vel manifestissimis,
 vel falsissimis, sed in ambiguis & du-
 biis. Turneb.

⁵ Opus destruendi.] Satis ipse explicat
 Fabius cujusmodi sit opus & ἀνασ-
 τροφῆς, quæ est refutatio, & ὑπεροσ-
 τροφῆς, quæ est assertio. Vide & Gel-
 lium lib. 9. cap. xi. Camerar.

⁶ Valerii pugnantis.] Liv. dec. 1. lib. 7.

⁷ Hostis Galli.] Valerius tribunus in
 exercitu Camilli persequentis Gallos
 Senones, provocatorem Gallum sin-
 gulari certamine superavit, adjutus à
 Corvo. Unde Corvinus est appellatus.
 Turneb.

⁸ Quo Scipio traditur genitus.] Ajunt
 matrem Africani diu sterilem fuisse, &
 cum ea aliquando visum serpentem, ex
 quo genitum Scipionem fama distulit.
 Idem scribitur de Olympiade matre A-
 lexandri. idem de Accia matre Augusti
 Cæsaris. Gel. lib. 7. cap. 1. Liv. dec. 3.
 lib. 6. & dec. 1. lib. 10. Idem.

I Nam

Scipio traditur genitus, & lupa Romuli, & Ægeria Numæ. ¹ Nam Græcis historiis plerunque poëticæ similis est licentia. Sæpe etiam quæri solet de tempore, de loco, quo gesta res dicitur. ² Nonnunquam de persona quoque, sicut Livius frequentissime dubitat, & alii ab alijs historici dissentunt. ³ Inde paulatim ad majora tendere incipiet, laudare claros viros, & vituperare improbos: quod non simplicis utilitatis opus est. Nanque & ingenium exercetur multiplici variaque materia, & animus contemplatione recti pravique formatur, & multa inde cognitio rerum venit: exemplisque, quæ sunt in omni genere causarum potentissima, jam tum instruitur, cum res poscet usus. ⁴ Hinc illa quoque exercitatio subit *comparationis*, uter melior, uterve deterior: quæ quanquam versatur in ratione simili, tamen & duplicat materiam, & virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat. Verum de ordine laudis, contraque, quoniam tertia hæc rhetorices pars est, ⁵ præcipiemus suo tempore. ⁶ Communes loci (de iis loquor quibus citra personas in ipsa vitia moris est perorare, ut in *adulterum, aleatorem, petulantem*) ex mediis sunt judiciis, & si reum adjicias, accusationes: quanquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quasdam deduci

¹ *Nam Græcis hist.]* De Latinis non dissimiles quæstiones: ut de Romuli ascensione in cælum, apud Cic. lib. 1. de legibus. Fl. Vopiscus in Aureliano. Neminem scriptorum quod ad historiam attinet non esse mentitum. *Pith.*

² *Nonnunquam de persona.]* Sic statim libro primo ab urb. dubitat Livius an *Ascanius* sit filius *Æneæ* ex *Creusa* an ex *Lavinia*. & an *Lucius Tarquinius* sit *Tarquinius Prisci* filius, an nepos, dubitatur, quia diversa scribunt Livius & *Dionysius*. *Turneb.*

³ *Inde paulatim.]* Aliud est progymnasima, *laus & vituperatio*: quod non solum in personis, sed in alijs quoque rebus exerceri solet: in personis tamen

frequentissime, idque bifariam, vel simpliciter, vel ex *comparatione*. *Idem.*

⁴ *Hinc illa quoque.]* *Comparationem* *Aphthonius* sejungit à laudatione & vituperatione, sub his tamen eam complectitur *Fabius*: ac nihil est omnino aliud quam laus aut vituperatio duplicata. *Idem.*

⁵ *Præcipiemus.]* Libro 3.

⁶ *Communes loci.]* Communes formulæ quæ dicuntur per amplificationem in virtutes aut vitia, aut seorsum tractantur, ut progymnasmata, aut in orationum epilogis ponuntur, idque dupliciter, vel illo generali ambitu, vel addita circumscriptione. quanquam ubique est *thesis*. *Turneb.*

deduci species solent, ut si ponatur *adulter cacus, aleator pauper, petulans senex*. Habent autem nonnunquam etiam defensionem. ¹ Nam & pro *luxuria*, & pro *amore* dicimus, & leno interim parasitusque defenditur: sic ut non homini patrocinemur, sed crimini. ² Theses autem quæ sumuntur ex rerum comparatione, ut ³ *rusticanane vita* an *urbana* potior, ⁴ *jurisperiti* an *militaris viri laus major*, mire sunt ad exercitationem dicendi ⁵ speciosæ atque uberes: quæ vel ad suadendi officium, vel etiam ad iudicium disceptationemque juvant plurimum. Nam posterior ex prædictis locus, in causa Murænæ copiosissime à Cicerone tractatur. ⁶ Sunt & illæ pene totæ ⁷ ad deliberativum pertinentes genus, *ducendane uxor, petendine sint magistratus*. Nanque hæ personis modo adjectis suasoriæ erunt. ⁸ Solebant præceptores mei, neque inutiles, & nobis etiam jucundo genere exercitationis, præparare nos conjecturalibus causis, cum quærere atque exequi juberent, ⁹ *cur armata apud Lacedæmonios Venus: & quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer, & sagittis ac face armatus*, & similia: in quibus scrutabamur voluntatem, cujus in controversiis frequens quæstio est: quod genus chriæ

¹ *Nam & pro luxuria.*] Sunt hæ materiæ quas appellat Gellius *infames & insopinabiles*: quibus libenter se exercebat Phavorinus, quod crederet hujusmodi materias ingenium expergefaceret. *Idem.*

² *Theses autem.*] *Theses* aut simplices sunt aut comparatæ. comparatæ majorem quærunt laborem, cum illic omnia duplicentur. *Idem.*

³ *Rusticane vita.*] Hanc thesin tractat Varro libro secundo *de re rustica*, ac potiore ostendit rusticam. *Idem.*

⁴ *Jurisperiti an militaris.*] Hæc thesis tractatur à Cicerone in oratione pro Muræna adversus Servium Sulpitium jurisconsultum. *Idem.*

⁵ *Speciosæ.*] Al. *Spatiosæ.*

⁶ *Sunt & illæ.*] Quanquam plerumque in deliberatione tota thesis tractatur, tamen deliberandi principium non

solet dare thesis, sed hypothesis, quæ postea revocatur ad thesin. *Turneb.*

⁷ *Ad deliberativum pertinentes genus.*] MS. elegantius: *Pertingentes*. Vide Gebhard. *Creput.* lib. 2. c. 9. pag. 82.

⁸ *Solebant præceptores mei.*] Hoc progymnasma videtur omissum esse & ab Hermogene, & ab Aphthonio, nisi forte sub chriæ complecti velis, uti quæritur, *quare apud Lacedæmonios statua Veneris erat armata*. *Turneb.*

⁹ *Cur armata apud Lac. Venus.*] *Lactantius* lib. *Instit.* 1. cap. 20. p. 78. &c. describit Venerem calvam & armatam. *Exstat* & lib. 5. *Epist.* p. 185. *Epigramma* Ang. Politiani in Venerem armatam. *Armata apud Lacedæmonios Venus.*] *Exstat* Ausonii carmen de Venere armata ex Græco. Cupidinis autem picturæ causas Propertius libro xx. reddit. *Camerar.*

¹ *Nam*

chriæ videri potest. ¹ Nam locos quidem, quales sunt de testibus *semperne his credendum*: & de argumentis, *an habenda etiam parvis fides*: adeo manifestum est ad forenses actiones pertinere, ut quidam nec ignobiles in officiis civilibus, scriptos eos, memoriæque diligentissime mandatos, in promptu habuerint, ut quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut ² *emblematis* exornarentur. Quo quidem (nec enim ejus rei iudicium differre sustineo) summam videbantur mihi infirmitatem de se confiteri. Nam quid hi possint in causis, quarum varia ac nova semper est facies, proprium invenire, quomodo propositis ex parte diversa respondere, ³ altercationibus velociter occurrere, testem rogare, qui etiam in iis quæ sunt communia, & in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis nisi tanto ante præparatis, prosequi nequeant? Necessè est his, cum eadem iudiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant, velut frigidi & repositi cibi: aut pudorem deprehensa toties audientium memoria infelix supellex: quæ, sicut apud pauperes ambitiosos, ⁴ pluribus & diversis officiis conteratur: ⁵ cum eo quidem, quod vix ullus est tam communis locus, qui possit cohærere cum causa, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus: appareatque eum non tam insertum, quam applicitum; vel quod dissimilis est cæteris, vel quod plerunque assumi etiam parum apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est. ⁶ ut quidam

¹ *Nam locos quidem.*] Alios tractat locos communes, qui appellantur à Rhetoribus *inartificiales*, quorum inventio caret arte, tractatio artificiosa est. *Turnebus.*

² *Emblematis.*] Immissuras dicamus. *Camerar.*

³ *Altercationibus.*] *Altercationes* appellat Fabius, cum non habet oratio continua & perpetua, sed utrinque interrogationibus & responsionibus interrupta. *Turneb.*

⁴ *Plurib. & diversis off. conteratur.*]

MSS. Palat. Pluribus & divisis officiis. Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9.

⁵ *Cum eo quidem.*] Locus communis cum absimitur cum proprio themate, apte debet conjungi, ut videatur illuc immigrasse sponte, non accersitus fuisse. Hi autem nihil habent pensi quomodo inseratur, dum aliquo modo applicetur. *Turneb.*

⁶ *Ut quidam.*] Quosdam reprehendit, qui allesti sententiis quibusdam plausibilibus excurrunt in locos communes spaciosos, idque præpostere:

dam sententiarum gratia verbosissimos locos arcessunt,
² cum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt autem spe-
 ciosa hæc & utilia, si oriuntur ex causa. Cæterum quam-
 libet pulchra locutio, nisi ad victoriam tendit, utique su-
 pervacua, sed interim etiam contraria est. Verum hæcte-
 nus evagari satis fuerit. ² *Legum laus & vituperatio* jam majores ac prope summis operibus suffecturas vires desiderant: quæ quidem suasoriis magis an controversiis accommodata sit exercitatio, consuetudine & jure civitatum differt. ³ Apud Græcos enim lator earum ad judicem vocabatur: Romanis pro concione suadere ac dissuadere moris fuit. Utroque autem modo pauca de his, & fere certa dicuntur. ⁴ Nam & genera sunt tria, *sacri, publici, privati juris*. Quæ divisio ad laudem magis spectat, si quis eam per gradus au-
 geat, quod *lex*, quod *publica*, quod *ad religionem deum comparata sit*. Ea quidem de quibus quæri solet, communia omnibus. ⁵ Aut enim de jure dubitari potest ejus qui rogat, ut de ⁶ *P. Clodii*, qui ⁷ non rite creatus tribunus arguebatur. Aut de ipsius rogationis, quod est varium, ⁸ sive non tri-

no forte

nam ex locis debent oriri sententiæ, non ex sententiis loci. *Idem.*

¹ *Cum ex locis debeat nasci sent.*] Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 9. pag. 83.

² *Legum laus & vituperatio.*] Progressus est Fabius à facilioribus sensim ad difficiliora, ac ultimo loco *progymnasma maximum* posuit, quod appellatur *immothesia*. efficit autem apud Romanos *genus deliberativum*, quia lex suadet vel dissuadet, ut in oratione contra Rullum. Apud Græcos vero *genus judiciale*, quia legislator accusatur *ἡ δὲ νόμων*. id est, quod sciverit aliquid contra leges: ut in oratione Æschini contra Ctesiphontem. *Turneb.*

³ *Apud Græcos.*] Exempla possunt esse Demosthenis orationes *πρὸς λέπτιλιν, ἢ καὶ ὑπερὸς τὸν κλέοντα*. *Camerar.*

⁴ *Nam & genera.*] Hæc exercitatio tractatur in universum, citra personæ complexum: alioqui enim jam esset cau-

sa, & non progymnasma. Loci petuntur à jure, quod (ut ait Ulpianus) aut *privatum* est aut *publicum*. *Publicum* aut in sacris & cerimoniis, quod *pontificium* appellatur: aut in cætero reipub. statu, quod appellatur *civile*. *Turneb.*

⁵ *Aut enim de jure.*] Hoc caput est *paragrophicum*. non cadit autem in progymnasma, sed in causam. *Idem.*

⁶ *P. Clodii.*] Suet. in Cæsar. & Cic. in orat. pro domo sua.

⁷ *Non rite creatus Tribunus.*] *Tribunus* esse nullus potest, nisi *plebeius*, cum autem transiret à Patribus ad plebem Clodius, servatum est de cælo à Bibulo consule, quæ res legem irritam faciebat. *Turneb.*

⁸ *Sive non trino.*] Nundinis ait Macrobius, solitas rusticas tribus in urbem venire, mercium causa. Itaque leges & consulta tertiis nundinis promulgabantur, quas dixere *trinundinum & trinum*

no forte ¹ nundino promulgata, ² sive non idoneo die, si-
ve contra intercessionem, vel ³ auspicia, aliudve quid quod
legitime obstat, dicitur *lata esse vel ferri*, sive alicui manen-
tium legum repugnare. Sed hæc ad illas primas exercita-
tiones non pertinent. Nam sunt hæc citra complexum per-
sonarum, temporum, causarum. Reliqua eadem fere ve-
ro fictoque certamine hujusmodi tractantur. ⁴ Nam vitium
aut *in verbis* est, aut *in rebus*. In verbis quæritur, *an sa-
tis significent, an sit in his aliquid ambiguum*. In rebus, *an lex sibi
ipsa consentiat, an in populum ferri debeat, an in singulos homi-
nes*. Maxime vero commune est quærerere, *an sit honesta, an
utilis*. ⁵ Nec ignoro, plures fieri à plerisque partes: sed nos
justum, pium, religiosum, cæteraque his similia, *honesto
complectimur*. ⁶ *Justi* tamen species non simpliciter excuti
solet. Aut enim de re ipsa quæritur, ut *dignane pœna vel præ-
mio sit*: Aut de modo præmii, pœnæve, *qui tam major
quam minor* culpari potest. ⁷ Utilitas quoque interim *natura
discernitur, interim tempore*. Quædam an obtineri possint,
ambigi solet. Ne illud quidem ignorare oportet, leges
aliquando totas, aliquando ex parte reprehendi solere, cum
⁸ exemplum rei utriusque nobis claris orationibus præbea-
tur.

trium nundinam. Video accepisse quod-
dam pro loco, quod tribus in locis pro-
mulgationes fieri solerent, pro quibus
Fabius facere videri possit.

1 *Nundino*.] *Nundine institutæ* fue-
rant ut nono quoque die rustici in ur-
bem ad mercatum & leges accipiendas
venirent: quæ idcirco trinis nundinis
promulgabantur, ac deinde in arario
asservabantur, ac ratæ habebantur. *Turneb.*

2 *Promulgata*.] Vide Macrobius li-
bro 1. Satur. cap. 19.

3 *Auspicia*.] Jove tonante aut ful-
gente omnia dirimebantur, ac obnun-
ciatio auguris vel magistratus omnia
rollebat. *Turneb.*

4 *Nam vitium*.] Hoc caput nascitur
ex statibus legitimis, qui scripto conti-
nentur. *Idem.*

5 *Nec ignoro*.] Quatuor efficit partes
Aphthonius, *legitimum, justum, utile,
possibile*: Fabius *honestum & utile*, quan-
quam postea etiam ager *de possibili*, quem
esse locum putat generis deliberativi, li-
bro tertio. *Idem.*

6 *Justi tamen*.] Legis est virtus *im-
perare, permittere, vetare, punire*, adje-
ctis interim pœnis vel præmiis quæ ex
justitia expenduntur. Ita Favorinus
apud Gellium libro vigesimo, quasdam
leges duodecim tabularum culpat, quod
interim graviores, interim leviores in-
ferant pœnas. *Idem.*

7 *Utilitas*.] Cicer. in orat. pro lege
agraria.

8 *Exemplum rei utriusque*.] Hujusmo-
di potest esse exemplum oratio Æschini
in Ctesiphontem, & Demosthenis
de corona. *Turneb.*

tur. Nec me fallit eas quoque leges esse, quæ non in perpetuum rogentur, ¹ sed de honoribus aut imperiis, qualis *Manilia* fuit, de qua Ciceronis oratio est. Sed de his nihil hoc loco præcipi potest. Constant enim propria rerum de quibus agitur, non communi qualitate. His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen à dialecticis argumentandi ratione. Nam ² fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Græcos dicere, circa *Demetrium Phalerea* institutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum (³ ut alio quoque libro sum confessus) parum comperi: sed ne ii quidem hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cepisse, ⁴ Cicero auctor est: quorum insignis ⁵ maxime *Plotius* fuit.

¹ *Sed de honoribus.*] Ut lex fuit, qua Scipio Africanus ante ætatem adeptus est consulatum, legibus solutus. & Manilia, quæ lata est à Manilio trib. pleb. de imperio Cn. Pompeio adversus Mithridatem demandando. *Turneb.*

² *Fictas ad imitationem fori, &c.*] Videndus hac de re Joh. à Wouweren *Animadv.* in Petronium p. 379. & 380. Edit. Goldasti.

³ *Ut alio quoque libro.*] Credo de causis corruptæ eloquentiæ. *Pisib.*

⁴ *Cicero auctor est.*] Lib. 3. de Oratore.

⁵ *Maxime Plotius.*] Sueton. de claris Rhetor. Gallus Euseb. in Chronic. M. Senec. libro 2. Declamation. *Pisib.* *Plotius.*] De hoc Plotio vide Tranquillum in libro de claris Rhetoribus. *Turnebus.*

C A P. V.

De lectione oratorum & historicorum apud rhetorem.

§ SED de oratione declamandi ¹ post paulo: interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omitendum videtur id quoque ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si quemadmodum à grammaticis exigitur poëtarum enarratio, ita ipse quoque

PRælegendos esse pueris historicos & oratores docet, observatis eorum virtutibus ac vitiis. has enim res magis conducere ad eloquentiam, quam ullam

technologiam aut artis præceptionem scribit. *Turneb.*

¹ *Paulo.*] Cap. II. infra.

I *Histo-*

que ¹ historiae, atque etiam magis orationum lectione susceptos à se discipulos instruxerit: quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, & parentes utile esse crediderant, servavimus. Cæterum sentientibus jam tum optima, duæ res impedimento fuerunt, quod & longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, & robusti fere juvenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum nostrum sequebantur. Nec tamen etiam si quid novi vel sero invenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc vero scio id fieri apud Græcos, sed magis per ² adjutores: quia non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi velint. ³ Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa quæ vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, si quando ita incidat, vitia, id professionis ejus atque promissi, qui se magistrum eloquentiæ pollicetur, maxime proprium est: eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, ⁴ ut ad gremium ⁵ revocatis, cujus quisque eorum velit libri lectioni deserviant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis videtur utile, factò silentio unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronuntiationi quoque assuescant:

¹ *Historia.*] Quanquam historiam occupaverunt grammatici, tamen cum sit hoc totum opus oratorium maxime, ejus lectionem suscipere debet rhetor observatione virtutum, non annotatione verborum. *Turneb.*

² *Adjutores.*] *Adjutores* vocat, quos Græci *υποδιδασκαλῆς*, quasi subpræceptores dicat, qui labores didascalii, id est, *præceptoris* adjuvant. *Idem.*

³ *Et hercle prælectio.*] Triplex est prælectio: quædam qua prælegimus verba, ut eadem apte pronuncient pueri: quædam est in glossematum explicatione, quædam in virtutum observatione. duæ

priores sunt *grammatici*, posterior *rhetoris*. *Idem.*

⁴ *Ut ad gremium.*] Metaphora est ducta à matribus, & nutriculis indulgentioribus, quæ infantes in gremio molliter educant. hac autem ratione Fabius prælectionis molestiam detrahit, & expeditam rationem docet: quoque pacto expendenda sint virtutes, tanquam exemplo subjicit. *Idem.*

⁵ *Revocatis.*] Id est, non jubeo ut magister prælegat singulis eos libros quos attulerint. ut astruas *revocatis*, ad *deserviat*. *Camerar.*

I Quodque

scant: tum exposita caussa in quam scripta legetur oratio (nam si clarius quæ dicentur, intelligi poterunt) nihil otiosum pati, ¹ quodque in *inventione*, quodque in *elocutione* annotandum erit: quæ in proœmio conciliandi iudicis ratio: quæ narrandi lux, brevitatis, fides: quod aliquando consilium, & quam occulta calliditas. Namque ea sola in hoc ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit. Quanta deinceps in dividendo prudentia, quam subtilis & crebra argumentatio: quibus viribus inspiret, ² qua jucunditate permulceat: quanta in maledictis asperitas, in jocos urbanitas. ut denique dominetur in affectibus, atque in pectora irrumpat, animumque iudicum similem iis quæ dicit, efficiat. Tum in ratione eloquendi, quod verbum proprium, ornatum, sublime: ubi amplificatio laudanda, ³ quæ virtus ei contraria. quid speciose translatum, quæ figura verborum, quæ lenis & ⁴ quadrata: sed virilis tamen compositio. Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando & vitiosas orationes, quas tamen plerique iudiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, ostendique in his quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effœminata sint: quæ non laudantur modo à plerisque, sed (quod pejus est) propter hoc ipsum quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, & secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero quæ utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur:

¹ *Quodque in inventione.*] Quanquam quinque sunt rhetorices partes, tamen in orationum explicatione memoria & pronuntiatio excuti non possunt, utpote quæ in sola sint actione dicentis. *inventio* autem & *dispositio* & *elocutio* veniunt in dispositionem, sed sub *inventione dispositio* est complexus Fabius, *Turnebus*.

² *Qua jucunditate permulceat.*] Hæc de affectibus sunt intelligenda, qui duplices sunt, *minores* & *maiores*. quo ex genere est etiam *deivosis*. id est, ora-

tio quæ gravitatem & dignitatem addit rebus amplificatione maxima. *Idem*.

³ *Quæ virtus ei contraria.*] *Amplificatio*, quæ *αὐξησις* dicitur, rem efficit majorem: *extenuatio*, quæ *μείωσις* efficit minorem. *Idem*.

⁴ *Quadrata.*] *Quadratam* appellat *compositionem*, lenem & æquabiliter profluentem. Solent etiam Latini *quadratum* usurpare pro *perfecto*, *absoluto*, & bene composito. atque inde dicitur *statura quadrata*, bona corporis habitudo. *Idem*.

I Non

miramur: ¹ non aliter quam distortis, & quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitus bonis perdidit: atque etiam qui specie capiuntur, vulsis, lævatisque, & inultas comas acu comentibus, & non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere ² incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus. Nec solum hæc ipse debet docere præceptor, sed frequenter interrogare & iudicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur, perfluent aures: simulque ad id perducentur, quod ex hoc quæritur, ut inveniant ipsi, & intelligant. *Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper docendi sint?* Hoc diligentia genus ausim dicere plus collaturum discipulis, quam omnes omnium artes, quæ juvant sine dubio multum: ³ sed latiore quadam comprehensione, per omnes quidem species rerum quotidie pene nascentium ire qui possunt? Sicut de re militari quamquam sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire, quæ ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent *præcepta*, quam *experimenta*. An vero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus, non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? Corrigetur palam siquid in declamando discipulus erraverit: non potentius erit emendare orationem? quinimo etiam jucundius. Aliena enim vitia quisque reprehendi mavult, quam sua. Nec deerant plura quæ dicerem: sed neminem hæc utilitas fugit:

¹ *Non aliter quam distortis.*] Heliogabalus distortis corporibus gaudebat. unde gibbosis & cæcis sæpe solebat cœnam apponere. vide Lampridium. *Idem.* *Non aliter quam distortis, &c.*] Sic Quintilian. declamat. cxcviii. Sueton. August. c.83. Ad Casaubon. Animadvers. in Sueton. p.166.

² *Incorrupta natura.*] Naturalis pul-

chritudo. Propert. lib. i. Eleg. 2. v. 5. vocat *Natura decus*, ad Cynthiam.

³ *Sed latiore.*] Constat artes omnes acquiri ratione & experientia. rationem suppeditat ars, experientiam exercitatio. altera generalia præcepta complectitur, nec ad singularia descendit: altera in singularibus occupatur, & veram praxin suppeditat. *Turneb.*

i Confecta

git: atque utinam tam non pigeat facere istud, quam non displicebit. ¹ Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quaestio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilius eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii ² floridius genus, ut ad alenda primarum aetatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem & statim & semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, & maxime expositum velim: ut Livium à pueris magis quam ³ Sallustium: ⁴ & hic historiae majoris est auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. ⁵ Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus quoque & apertus est satis: nec prodesse tantum, sed etiam amari potest, tum (quemadmodum Livius praecipit) ut quisque erit ⁶ Ciceroni simillimus. ⁷ Duo autem genera maxime cavenda pueris puto: Unum, ne quis eos, antiquitatis nimis admirator, in Gracchorum, Catonisque, & aliorum similium lectione durefcere velit. Fient enim horridi atque jejuni. Nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur: & elocutione, quae tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, ⁸ similes sibi magnis viris videbuntur.

¹ Confecta quaestione An sit, quaestionem qualitatis exequitur, atque optimos esse statim historicos & oratores legendos. *Idem.*

² *Floridius genus.*] *Floridum* appellat *genus*, sententiis argutum, verbis elegans, & metaphoris crebrum. in hac autem videtur esse sententia Cicero, qui quidem *Epidicticum* genus, quod floridum est & sophisticum, eloquentiam nutritur scribit. *Idem.*

³ *Sallustium.*] Nam Sallustius brevis est & antiquarius, ac verba prisca ex Originibus Catonis est suffuratus. *Idem.*

⁴ *Et hic historiae majoris, &c.*] Vide Barthium *Adversar.* libro 48. cap. 19. p. 2175.

⁵ *Cicero.*] Livius historicus in epi-

stola quadam ad filium ait primos esse legendos *Ciceronem* & *Demosthenem*, tum demum ut quisque vel Ciceroni vel Demostheni esset simillimus. cuius iudicium Fabius sequitur. Qui sint autem simillimi Ciceroni, docebit lib. xi. *Turneb.*

⁶ *Ciceroni.*] In epist. ad filium: cuius meminit lib. 10. cap. 1.

⁷ *Duo autem genera.*] Ne labamur in *cacozeliam* veretur: quocirca nec antiquos esse pueris legendos putat, nec recentiores, sed eos qui circa Ciceronis aetatem vixerunt. *Turneb.*

⁸ *Similes sibi magnis.*] Hac de re Fab. loquitur lib. x. scribitque antiquos juvare posse sententiarum pondere & argumentorum, non tamen perinde phrasi. *Idem.*

tur. Alterum, quod huic diversum est, ne recentis hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ¹ ut prædulce illud genus, & puerilibus ingeniis hoc gratius, quo propius est, adamant. Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaferim & antiquos legere, ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterfo rudis seculi squalore, ² tum noster hic cultus clarius enitescet: & novos quibus & ipsis multa virtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnavit: sed dicendi mutavimus genus, & ultra nobis, quam oportebat, indulsumus. ita non tam ingenio illi nos superarunt, quam proposito. Multa ergo ³ oportebit eligere: sed curandum erit, ne iis quibus permista sunt, inquinentur. ⁴ Quosdam vero etiam quos totos imitari oporteat, ⁵ & fuisse nuper & nunc esse quidem, libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim. Sed hi qui sint, non cujusque est pronuntiare. Tutius circa priores vel erratur: ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio iudicium antecederet.

CAP.

¹ *Ut prædulce illud genus.*] Fabius taxat sui temporis eloquentiam, ut lib. quoque x. quæ delicias quasdam ad oblectationem consecratur, & orationis quandam luxuriam. *Idem. Ut prædulce illud genus, &c.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 13. p. 89. & Rutgers. Var. lect. lib. 3. cap. 3. p. 199. 200.

² *Tum noster.*] Miscet Fabius genus antiquum dicendi cum novo. nam illud sententiis valebat, hoc dictionis elegantia. est autem *optimus character*, qui

sententiarum habet pondera & verborum ornamenta. *Turneb.*

³ *Oportebit.*] Alii *licebit.*

⁴ *Quosdam vero.*] Hoc intelligere videtur de Plinio majore, & Cornelio Tacito, qui tempore Fabii vixerunt. illorum enim permultæ sunt virtutes. *Turneb.*

⁵ *Et fuisse nuper & nunc.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 13. p. 89. & 90. *Nuper.*] Alii *semper.*

Divisio-

C A P. VI.

De divisione.

7¹ Fuit etiam in hoc diversum præcipientium propositum, quod eorum quidam materias quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequerentur: ² nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alii cum ³ primas modo lineas duxissent, post declamationes, quid omisisset quisque tractabant; quosdam vero locos non minore cura, quam cum ad dicendum ipsi surgerent, excolebant. Utile utrumque: & ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantum alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore jam lapsos. Primum, quia emendationem auribus modo accipiunt, divisionem vero ad cogitationem etiam & stylum perferunt: deinde, quod libentius præcipientem audiunt, quam reprehendentem. Si qui vero paulo sunt vivaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, & taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia aperte coarguenda sunt. Habenda enim ratio cæterorum, qui recta esse quæ præceptor non emendaverit, credent. ⁴ Utraque autem ratio

Divisionum appellat, *partitionem* thematicæ & materiæ in sua capita, quæ eadem dicitur *παραγχεῖσις*, quod thema suis locis & partibus partiamur, & tanquam in articulos manus mittamus. huiusmodi sunt divisiones Senecæ, & partitiones quæstionum Sopatri. *Turneb.*

¹ Fuit etiam in hoc, &c.] M. Senec. lib. VII. Controvers. Raro totam controversiam implebat: Non posses dicere divisionem esse: non posses declamationem, tanquam declamationi multum deerat, tanquam divisioni multum supererat. *Pith.*

² Nec solum probationibus.] Sequentibus his capitibus quædam Fabius com-

plectitur, quæ ante declamationem fieri debent, aut fiebant. hic porro duas inventionis est persecutus partes, *fidem* & *motum*, ut nihil discipulorum inventioni relinqueretur. *Turneb.*

³ Primas modo lineas.] Metaphora est ducta à pictura quæ *μόνοχρῆμι* dicitur, quæ primum lineis ducitur, deinde postea coloribus corporatur. *Idem*

⁴ Utraque autem ratio.] Putat Fabius hac in re profectus esse rationem habendam, ut si discipuli sint rudiores, fufius thema explicemus & diligentius dividamus: sin literatiores, leviter tantum exponamus, & in quosdam suos locos dividamus, interdum vero simpliciter exponamus sine locis. *Idem.*

I PRÆ-

ratio miscenda est, & ita tractanda, ut ipsæ res postulabunt. Namque incipientibus danda erit velut ¹ præformata materia secundum cuiusque vires. At cum satis composuisse se ad exemplum videbuntur, brevia quædam demonstranda vestigia: quæ persecuti, jam suis viribus sine adminiculo progredi possint. ² Nonnunquam credi sibi eos oportebit: ne mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari & quærere sciant. Quod si satis prudenter dicenda viderint, jam prope consummata fuerit præcipientis opera. Si quid erraverint adhuc, erunt ad ducem reducendi. Cui rei simile quiddam facientes aves cernimus, quæ teneris infirmisque fœtibus cibos ore suo collatos partiuntur: at cum visi sunt adulti, paulum egredi nidis, & circumvolare sedem illam præcedentes ³ ipsæ docent: tum expertas vires, libero cœlo, suæque ipsorum fiducia permittunt.

¹ *Præformata materia.*] Metaphora est ducta ab architectis, qui vel *sciographia*, *ichnographia*, vel *orthographia* opus præformant. *Idem.*

² *Nonnunquam credi sibi.*] *Creditur sibi discipulus*, cum thema aliquod tra-

ctat sine ulla præceptoris divisione, & sine ullo ejus auxilio. *Idem.*

³ *Ipsæ docent.*] Matres ac dominæ nidi. *Idem* Fab. lib. 2. cap. 2. *Adi* Jan. Gebhard. *Crepund.* lib. 1. c. 9. p. 28.

C A P. VII.

De ediscendo.

Illud ex consuetudine mutandum profus existimo in his 8
de quibus nunc differimus ætatibus, ne omnia quæ scripserint, ediscant, & certa, ut moris est, die dicant: quod quidem maxime patres exigunt: atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, credunt: cum profectus præcipue diligentia constet. Nam ut scribere pueros, plurimumque esse in hoc opere plane velim:

Erasmus studium ad verbum ediscendi non probat, ut nimii laboris & nullius prope fructus. Fabius ediscendos putat illustres locos ex oratio-

nibus vel historiis. ea res enim & memoriam firmabit & elocutionem augebit. *Turneb.*

velim: sic ediscere electos ex orationibus vel historiis, aliove quo genere dignorum ea cura voluminum locos, multo magis suadeam. Nam & exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam sua: & qui erunt in difficiliore hujus generis labore versati, sine molestia, quæ ipsi composuerunt, jam familiarius animo suo affigent, & assuescent optimis, semperque habebunt intra se, quod imitentur: etiam non sentientes, formam orationis illam quam mente penitus acceperint, expriment. ¹ Abundabunt autem copia verborum optimorum, & compositione, ac figuris jam non quæsitis, sed sponte & ex reposito velut thesauro se offerentibus. ² Accedit his & jucunda in sermone bene à quoque dictorum relatio, & in causis utilis. Nam & plus auctoritatis afferunt ea quæ non præsentis gratia litis sunt comparata, & laudem sæpe majorem, quam si nostra sint, conciliant. Aliquando tamen permittendum, quæ ipsi scripserint, dicere, ut laboris sui fructum etiam ex illa quæ maxime petitur laude, plurimum capiant. Verum id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimaverint: ut eo velut præmio studii sui donentur, ac se meruisse ut dicerent, gaudeant.

¹ *Abundabunt autem.] Elocutio aut in simplicibus est verbis aut in compositis. simplicia, aut propria sunt, aut tropo mutata, aut figura exornata: composita, collocata & numerosa. his omnibus*

generibus, abundabit ediscendo locos electos. *Idem.*

² *Accedit his.] Fab. lib. 5. aliorum dicta auctoritatem exempli & testimonii habere dixit. huc etiam pertinent Chrie. Idem.*

C A P. VIII.

An secundum sui quisque ingenii docendus sit naturam.

Virtus præceptoris haberi solet, nec immerito diligenter in iis quos erudiendos susceperit, notare discrimina

Hoc caput de natura est, in qua tantquam fundamento ars nititur. itaque Fab. docet optimam cujusque naturam esse præceptis & exercitatione au-

gendam: si quid desit naturæ, studio diligenti esse supplendum: si quid refragetur, esse emendandum. *Turnebus.*

¹ *Quam*

mina ingeniorum, & quo quemque natura maxime ferat scire. Nam est in hoc incredibilis quædam varietas: *nec pauciores animorum pene ¹quam corporum formæ.* Quod intelligi etiam ex ipsis ²oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere, ut nemo sit alteri similis: quamvis plurimi se ad eorum quos probabant, imitationem composuerint. ³Utile deinde plerisque visum est ita quenque instituire, ut propria naturæ bona doctrina foverent, & in id potissimum ingenia quo tenderent, adjuvarentur: ut si quis palæstræ peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omnimodo corpus, animumque, discernat cui quisque certamini sit præparandus: ita præceptorem eloquentiæ, cum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat; ita se commodaturum singulis, ut in eo quo quisque eminet, provehatur: quod & adjuta cura natura magis evalescat: & qui in diversa ducatur, nec in iis quibus minus aptus est, satis possit efficere: & ea in quæ natus videtur, deferendo faciat infirmiora. ⁴Quod mihi (libera enim vel contra receptas persuasiones rationem sequenti, sententia est) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. ⁵Namque erit alius historiæ magis idoneus, alius ⁶compositus ad carmen, alius utilis

¹ *Quam corporum formæ.*] Plinius lib. 7. ait, in tanta hominum multitudine vix duo reperiri corpora indiscretæ figuræ. quanquam idem similitudines corporum indiscretas quodam cap. 1. 7. persequitur. *Idem.*

² *Oratoribus.*] Cicer. de opt. dicendi genere, & de clar. oratoribus.

³ *Utile.*] Cicer. in Bruto & 1. de Offic.

⁴ *Quod mihi.*] Sententiam suam Fabius, ut inusitatam, præmunitione te-

git, ac superiorum opinionem partim probat, partim improbat. *Turneb.*

⁵ *Namque erit alius.*] Putat Fabius ex naturali ingenii propensione studia esse deligenda. sic Isocrates Ephoro & Theopompo suavit ut se ad historiam scribendam conferrent, quod à forensibus causis abhorrentes illuc vergerent. *Idem.*

⁶ *Compositus ad carmen.*] Ut Ovidius, qui semper à causis agendis abhorruit. nam *quicquid tentabat dicere, versus erat.* *Idem.*

utilis studio juris, ut nonnulli rus fortasse mittendi. ¹ Sic discernet hæc dicendi magister, quo modo ² palæstricus ille cursorem faciet, aut ³ pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis quæ sunt ⁴ sacrorum certaminum. ⁵ Verum ei qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia quæ sunt ejus operis, etiam si qua difficiliora discenti videbuntur, elaborandum est. Nam & omnino supervacua erat doctrina, si natura sufficeret. ⁶ An si quis ingenio corruptus ac tumidus, ut plerique sunt, inciderit, in hoc eum ire patiemur: aridum atque jejunum non alemus, & quasi vestiemus. Nam si quædam detrahere necessarium est, cur non sit adjicere concessum? ⁷ Neque ego contra naturam pugno. Non enim deserendum id bonum, siquod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque quod cessat. An vero clarissimus ille ⁸ præceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, cum de Ephoro atque Theopompo sic judicaret, ⁹ ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret: aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc pene præcipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit, cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur? Imbecillis tamen ingeniis fane sic obsequendum sit, ut tantum in

¹ Sic.] De his Aristotel. lib. 1. Rhet. & Cælius lib. 7. cap. 51. Antiquit.

² Palæstricus.] Id est, gymnastes. Nam palæstram gymnasium dixerunt. Sunt autem gymnica agonismata, stadium, πένταθλον, δίαυλον, δολιχός, ὀπλίτης. Camerar.

³ Pugilem.] Pugil appellatur, qui cæstibus aut pugnis decertat. Turneb.

⁴ Sacrorum certaminum.] Quatuor sunt certamina sacra Græciæ, Nemea, Olympia, Isthmia, Pythia: in quibus omne genus exercitationis fiebat. Idem.

⁵ Verum ei.] Enstasi posteriorem partem inficiatur, aitque si quid naturæ deest, illud addendum: siquid parvum inest, auferendum. Idem.

⁶ An si quis.] Ante artis cognitionem subesse oportet naturæ sælicitatem, & studii assiduitatem: in quibus si quid peccabitur, arte erit emendandum. Idem.

⁷ Neque ego.] Hac occupatione respondet ultimæ rationi eorum qui fovendum duntaxat unumquemque putabant in eo studio cui aptus esset. Idem.

⁸ Præceptor Isocrates.] Cic. 3. de Orator.

⁹ Ut alteri frenis.] Exemplo ab Isocratis dogmate sumpto, dogma suum Fabius ruetur, quo significavit Ephorum esse incitandum, Theopompum vero reprimendum. Quod idem iudicium fuit Platonis de Arist. & Xenocrate. Turneb.

¹ Natura.]

in id quo vocat natura, ducantur. Ita enim quod solum possunt, melius efficient. Si vero liberalior ¹ natura contigerit, & in qua merito ad spem oratoris simus aggressi, nulla dicendi virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior ut necesse est, cæteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non ² si docendum *pancratiasten* susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt ejus certaminis. Erit qui ex his aliqua non possit? In id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt hæc duo vitanda prorsus: *Unum* ne tentes quod effici non possit. *Alterum*, ne ab eo quod quis optime facit, in aliud cui minus est idoneus, transferas. At si fuerit qui docebitur, ille quem adolescentes senem vidimus, ³ Nicostratus, omnibus in eo docendi partibus similiter utetur: efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro providendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam ⁴ phonasco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere. Nam sicut ci-

thara,

¹ *Natura.*] Leg. materia.

² *Si docendum Pancratiasten.*] Eodem exemplo sæpius utitur, ut facili & imperitis etiam cognito. appellatur porro *Pancratiastes*, qui omni nixu corporis & contentione adversarium calce, pugnoque ferit, & nexibus illigat: quod genus exercitationis appellatur *Pancratiium*. Hermolaus tamen in Plinium *Pancratiasten* putat esse *Pentathlum*. Turnebus.

³ *Nicostratus.*] *Nicostratus*, ut meminit Pausanias, *Pancratiastes* fuit fortissimus, qui eodem sacro certamine victoriam & luctæ & pugilatus est adeptus. *Idem. Nicostratus.*] *Nicostratus*

ὁ Πρωμῆστος ἢ Φρυγίης, Ifodoti filius, quem septimum ponit Pausanias in eorum numero, qui iisdem diebus vicerint *παγκράτιον καὶ πάλω*, Eliacōn primo. Hoc loco observabis interpretatum esse Fabium *παγκράτιον pugnam*. Quod certamen quale fuerit, paulo ante descripsit. Ne igitur dixeris pugiles *τῶν παγκρατῆων*, qui sunt *πυκλῆ*. *Camerar.*

⁴ *Phonasco.*] *Phonascum* autem vocat magistrum vocalitatis, in qua mirum in modum elaborasse Græcos, intelligi etiam ex Ciceronis lib. potest de Oratore primo. *Camerar.*

thara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat.

C A P. IX.

De officio discipulorum.

10 **P**Lura de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo: ut praeceptores suos non minus quam ipsa studia ament: & parentes esse ¹ non quidem corporum sed mentium credant. Multum hæc pietas confert studio. nam ita & libenter audient, & dictis credent, & esse similes concupiscent: in ipsos denique cœtus scholarum læti & alacres convenient, emendati non irascentur, laudati gaudebunt. ut sint charissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles. alioqui neutrum sine altero sufficiet. ² Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur, & frustra sparseris semina, nisi illa præmollitus foverit sulcus: ita eloquentia coalescere nequit, ³ nisi sociata tradentis accipientisque concordia.

DIdascalicum opus docente constat & discente. cum igitur antea de officio præceptoris sit locutus, merito quod sit etiam discipulorum officium subdit. Estque totum hoc caput paræneticum. *Turneb.*

¹ *Non quidem corporum.*] Huc pertinet apophthegma *Alexandri*, qui Aristotelem ut parentem suspiciebat, à quo

accepisset bene vivere, cum à patre tantum vivere. *Idem.*

² *Et sicut.*] Confirmat parabola. *Idem.*

³ *Nisi sociata.*] Duo tantum à discipulis officia exigit *Fabius*, pietatem & observantiam erga præceptorem, & docilitatem. Ex his enim duobus cætera pendunt. *Idem.*

C A P. X.

De utilitate & ratione declamandi.

11 **I**N his primis operibus, quæ non ipsa parva sunt, sed majorum quasi membra atque partes, bene instituto, ac fatis

Methodus est compositionis, ab elementis ad ea quæ ex his conficiuntur. hic autem utilitatem declamationis docet, si modo similis erit causis

forensibus & deliberativis. & quosdam rhetoras reprehendit, qui monstrosa quædam themata à consuetudine causarum abhorrentia proponebant. *Turneb.*

¹ *Novissime*

fatis exercitato, jam fere tempus appetet aggrediendi *suaforias judicialesque materias*: quarum antequam viam ingrediatur, pauca mihi de ipsa declamandi ratione dicenda sunt: quæ quidem ut ex omnibus ¹ novissime inventa, ita multo est utilissima. Nam & cuncta illa de quibus diximus, in se fere continet, & veritati proximam imaginem reddit: ideoque ita est celebrata, ut plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere. Neque enim virtus ulla ² perpetuæ duntaxat orationis reperiri potest, quæ non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas quæ corrumpent eloquentiam causas, *licentia atque inscitia declamantium* fuerit. Sed eo quod natura bonum est, bene uti licet. Sint ergo & ipsæ materiæ quæ fingentur, quam simillimæ veritati: & declamatio in quantum maxime potest, imitetur eas actiones in quarum exercitationem reperta est. ³ Nam *magos* & ⁴ *pestilentiam*, & *responsa*, & *scæviores tragicis* ⁵ *novercas*, aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter ⁶ *sponsiones* & *interdicta* quæremus. Quid ergo?

¹ *Novissime inventa.*] Declamatio inventa est Cicerone puero. nam Seneca lib. primo declamationum, ait ante Ciceronem exercitationes rhetorum fuisse *theses*, non declamationes. Cic. quoque in Bruto rem novam esse ita testatur, Commentabar declamans, sic enim loquuntur, sæpe cum Marco Pisonem & Q. Pompejo, vel cum alio quotidie. *Idem.*

² *Perpetuæ duntaxat orationis.*] Perpetuam orationem appellat continentem, neque ullo modo interruptam: ad differentiam altercationis, in qua vices sunt interrogandi & respondendi. *Idem.*

³ *Nam magos.*] Translatitia sunt hæc & vulgaria rhetorum themata, quæ à consuetudine communi causarum abhorrent, ideoque Fabio non probantur. *Idem. Magos & pestilent. & responsa.*] An, Nam magos, & in pestilentiam re-

sponsa. Ita enim loqui amat Petron. Sat. p. 48. Vide Barthii Racemat. in Petron. p. 488. & Joh. à Wouweren Animadvers. in Petron. p. 38. & Goldasti symbola ad Petron. p. 527. Curt. Pichen. Not. ad Tacitum de Orat. num. 44.

⁴ *Pestilentiam.*] Ut consultum oraculum est ut sedaretur pestis: respondit *cædendam esse virginem*, & privatus quidam pater filiam interficit, ac in jus vocatur. *Turneb.*

⁵ *Novercas.*] Ut apud Fabium in *pariete palmato*, & *in cæco in limine*. *Idem.*

⁶ *Sponsiones & interdicta.*] *Sponsio* actio quadam est, quæ sit interposita stipulatione certa pecuniæ, quam is perdat qui iudicio superatus fuerit. *Interdictum* vero formula est & conceptio qua prætor aliquid fieri vel jubet vel vetat: estque plerunque de possessione. *Idem.*

ergo? Nunquam hæc supra fidem, & poëtica (ut vere dixerim) themata, juvenibus pertractare permittemus, ut expatientur, & gaudeant materia, & quasi ¹ in corpus eant? Erat optimum: sed certe sint grandia & tumida, non stulta etiam, & acrioribus oculis intuenti ridicula: ac si jam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, ut quadrupedes cum viridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractione curantur, & sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt: ita sibi quoque tenuandas adipēs, & quicquid humoris corrupti contraxerit, ² emittendum, si esse sanus ac robustus volet. Alioqui tumor ille inanis primo cuiusque veri operis comatu deprehendetur. ³ Totum autem declamandi opus qui diversum omnino à forensibus causis existimant, ii profecto ne rationem quidem qua ista exercitatio inventa sit, pervident. Nam si foro non præparat: aut scenicæ ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. ⁴ Quid enim attinet iudicem præparare, qui nullus est? narrare quod omnes sciant falsum? probationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronuntiaturus? Et hæc quidem ociosa tantum: affici vero, & ira vel luctu permovere, cuius est ludibrii, ⁵ nisi quibusdam pugnæ simulacris ad verum discrimen aciemque justam consuescimus? Nihil ergo inter forense genus dicendi, atque hoc declamatorium intererit? Si profectus gratia dicimus, nihil. Utinamque adjici ad consuetudinem posset, ut ⁶ nominibus

¹ *In corpus eant.*] Metaphora est à iumentis ducta, quæ pabuli multitudine saginantur, & corpulentiora fiunt. transfuit autem ad orationis nimiam ubertatem. *Idem.* *In corpus eant.*] Σωμωγῆσαι. Græci dicunt.

² *Emittendum.*] Metaphoram duxit à veterinariis, qui equorum plethoram, nimio pabulo contractam, phlebotomia curant. *Idem.*

³ *Totum autem.*] Quosdam rhetores carpit, qui declamationem esse causis forensibus dissimilem putabant, ideo-

que absurda & diversa à consuetudine proponebant themata, & quasi voluptatem solam auditorum sequebantur quod taxat Fab. l. 5. *Idem.*

⁴ *Quid enim.*] Absurdum colligit ex horum opinione, qui declamationem diversam à causis forensibus putant. *Idem.*

⁵ *Nisi quibusdam.*] Metaphora ducta est à decursionibus, & Troja, quam vulgo solent ludere, ad similitudinem & meditationem præliorum. *Idem.*

⁶ *Nominibus uteremur.*] Valla annotat

minibus uteremur, & perplexæ magis, & longioris aliquando actus controversiæ fingerentur, & verba in usu quotidiano posita minus timeremus, & jocos inferere moris esset: quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tyrones in foro inveniunt. ¹ Si vero in ostentationem comparatur declamatio, sane paululum aliquid inclamare ad voluptatem audientium debemus. Nam & iis actionibus quæ in aliqua sine dubio veritate versantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus ² panegyricos, totumque hoc demonstrativum genus, permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem (quæ latere plerunque in judiciis debet) non confiteri modo, sed ostentare etiam hominibus in hoc advocatis. Quare declamatio, quoniam est judiciorum consiliorumque imago, similis esse debet veritati: quoniam autem aliquid in se habet ³ ἐπιδεικτικόν, non nihil sibi nitoris assumere. Quod faciunt actores comici: qui nec ita profus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant, quod esset sine arte: nec procul tamen à natura recedunt, quo vitio periret imitatio: sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornat. Sic quoque aliqua nos incommoda ex his quas finxerimus materiis, consequentur, in eo præcipue, quod multa in his ⁴ relinquuntur incerta, ⁵ quæ sumimus ut videntur *ætates, facultates, liberi,*

paren-

tat olim cautum fuisse ne quis in poemate aut ullo scripto nominatim infamaretur. quocirca declamatores propriis nominibus destituti, ad generalia recurrerant: ut *magos, adulteros, medicos.* Idem. *Nominibus uteremur.*] Nominibus, intellige propriis.

¹ *Si vero.*] Duplici ratione declamamus, vel ut omnino causas forenses imitemur, quod genus est severius: vel ad ostentationem & delectationem, ubi major est libertas. *Turneb.*

² *Panegyricos.*] *Panegyrici orationes sunt laudatorie,* aut etiam suasoria, quæ olim in Græciæ conventibus ad ingenii

ostentationem habebantur. *Idem.*

³ *Επιδεικτικόν.*] *Επιδεικτικόν* appellatur genus quod comparatum est ad ostentationem ingenii, versaturque potissimum in causis demonstrativis: interdum etiam deliberativis. hoc genere sunt usi sophistæ. *Idem.*

⁴ *Relinquuntur incerta.*] In veris causis certæ sunt circumstantiæ, quas pro voluntate non possit orator immutare: in declamationibus vero incertæ. his itaque declamator ad utilitatem abutitur. *Idem.*

⁵ *Quæ sumimus.*] Id est, quæ pro nostro arbitrio ponimus. *Camerar.*

parentes, urbium ipsarum, vires, jura, mores, aliaque his similia. Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum vitiis ducimus. Sed hæc suo quæque loco. Quamvis enim omne propositum operis à nobis destinati eo spectet, ut orator instituat: tamen ne quid studiosi requirant, si quid erit quod ad scholas pertineat proprie, in transitu non omittemus.

C A P. XI.

An artis hujus necessaria cognitio sit.

12 **I**A M hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis, ex qua capere initium solent qui priora omiserunt: quamquam video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere hujusmodi præceptis eloquentiam putent: ¹ sed natura sua, & vulgari modo, & scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram, exemplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus quid esset *ῥήμω* & ² *νόμω*, nescire se quidem, sed si ad rem pertineret, esse in sua declamatione respondit. Alius percontanti, *Theodoreus*, an *Apollodoreus* esset, Ego, inquit, ³ *parmularius* sum. Nec sane potuit urbanus ex confessione incitiæ suæ elabi. ⁴ Porro hi, quia & bene-

Elementis traditis artem aggreditur, priusque quæstionem tractat *conjecturalem*, an necessaria sit *retorice*, nonnulli enim naturam solam & exercitationem citra artis præceptiones oratoriam efficere putabant. *Turneb.*

¹ *Sed natura sua, &c.*] In hac fere videtur esse opinio Antonii apud Ciceronem, qui *retoricam* esse putat *quandam exercitationem*. *Idem.*

² *Νόμω*.] *Νόμω* generaliter intellectum significat: sed tamen potissimum ea intelligitur sententia, quæ hujusmodi est, ut aliud intelligatur quam verba præ se ferant. Significavit autem hic rhetor ignarum se esse præceptorum, illis

tamen se bene uti. *Idem.*

³ *Parmularius sum.*] *Theodorus* & *Apollodorus* eximii fuerunt rhetorices professores, ab hisque emanarunt sectatores *Theodori* & *Apollodori*. Jocatus est autem rhetor, deflexo aliorum responso ad eludendum, ac se *parmularium* dixit. ita enim appellatur gladiator, qui *parmula* pugnat: quem etiam appellant *Thracem*. vide *Festum*. *Idem.*

⁴ *Porro hi.*] Accingit se ad hujus opinionis *ἀναστρέφειν*, quæ nititur quorundam exemplo qui diserti quadantenus evaserunt naturæ beneficio, idcircoque plurimos habent imitatores. *Idem.*

I *Aperi-*

& beneficio ingenii præstantes sunt habiti, & multa etiam memoria digna exclamaverunt: plurimos habent similes negligentia suæ, paucissimos naturæ. Igitur impetu dicere se, & viribus uti gloriantur. Nec enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis: sed (cujus rei gratia plenum sit auditorium) sententiis grandibus, quarum optima quæque ¹ à periculo petatur. Quin etiam in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid quod ultro se offerat, pluribus sæpe diebus expectantes, aut murmure incerto ² velut classico instincti, concitatissimum corporis motum non enuntiandis, sed quærendis verbis accommodant. ³ Nonnulli certa sibi initia priusquam sensum invenerint destinant, quibus aliquid disertum subjungendum sit: eaque diu secum ipsi clareque meditati, desperata connectendi facultate, deserunt: & ad alia deinceps, atque inde alia non minus communia atque nota divertunt. Qui plurimum videntur habere rationis, non in causas tantum laborem suum, sed in locos intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quædam, ut forte ad manum venere, jaculantur. Unde fit, ut dissoluta & ex diversis congesta oratio coherere non possit, similisque ⁴ commentariis puerorum sit, in quos ea quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerunt: magnas tamen sententias, & res bonas (ita enim gloriari solent) elidunt, nam & bar-

¹ *A periculo petatur.*] Notat genus dicendi sui temporis, ut aliis in locis, quod effusum erat in sententias. dixit autem à periculo petitas, quæ ex tempore dicuntur, cum scilicet periclitatur dicentis ingenium. *Idem.*

² *Velut classico instincti.*] Graphice depingit Fabius illorum rhetorum in rerum & verborum inventionem ineptam rationem, quia arte destituuntur, ut inde colligat artem esse necessariam. *Idem.*

³ *Nonnulli certa, &c.*] Fab. lib. 3. ait non esse eandem rationem cogitan-

di, & dicendi. nam in cogitando primum intueri oportet quæstionem, deinde quid confirmandum, quid refutandum, postea quo modo narrandum, demum quo modo exordiendum, hi contra præpostere exordia prius excogitant, quam sententiam invenerint. *Idem.*

⁴ *Commentariis puerorum.*] Solebant pueri, ut scribit Tacitus, cum ad scholas declamatorias venerant, sententias venustiores & locos illustriores declamationis per colonias & provincias quasdam in libellis suis scribere, & domum referre. *Idem.*

I Et

& barbari & servi: ¹ & si hoc fat est, nulla est ratio dicendi.

¹ *Et si hoc fat est.]* Hoc dictum est | satis non esse, ideoque esse opus arte. *enthymematice, & ex contrario colligit Idem.*

C A P. XII.

Quare ineruditi ingeniosiores vulgo habeantur.

13 **N**E hoc quidem negaverim, sequi plerunque hanc opinionem ut fortius dicere videantur indocti. Primum vitio male judicantium, qui majorem habere vim credunt ea quæ non habent artem: ut *effringere*, quam aperire: *rumperere*, quam solvere: *trahere*, quam ducere, putant robustius. Nam & gladiator ¹ qui armorum inscius in pugnam ruit, & luctator qui totius corporis nisu in id quod semel invasit, incumbit, fortior ab his vocatur: cum interim & hic frequenter suis viribus ipse prosternitur, & illum vehementis impetus, excipit adversarii ² mollis articulus. sed sunt in hac parte quæ imperitos etiam naturaliter fallant. Nam & *divisio* cum plurimum valeat in causis, speciem virium minuit: & rudia politis majora, & sparsa compositis numerosiora creduntur. Est præterea quædam virtutum vitiorumque vicinia, qua maledicus pro *libero*, temerarius pro *forti*, effusus pro *copioso* accipitur. ³ Maledicit autem ineruditus apertius, & sæpius vel cum periculo suscepti litigatoris, frequenter etiam suo. Affert & ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea quæ dicere ipsi noluis-

Quadam consecutione alteram tractat quæstionem, quare ingeniosior & virilior esse populo videatur imperiti oratio. Cujus rei varias affert Fabius rationes. hoc porro si verum esset, non solum supervacuum esset artis tractatus, verum etiam obesset. *Turneb.*

¹ *Qui armorum inscius in pug.]* Vide Jan. Gebhardi Crepund. lib. I. cap. 16. pag. 53.

² *Mollis articulus.]* Eleganter *mollem articulum* appellavit lenem corporis inflexionem, qua armorum periti adversariorum elidunt petitionem. nam articulis membra flectuntur. *Turneb.*

³ *Maledicit autem.]* Quæ longe lateque distant, nemini possunt imponere: at quæ vicinæ sunt, à prudentibus duntaxat & artificibus discerni possunt. quo fit ut populus *vicina vitia* plerunque pro virtutibus accipiat. *Idem.*

¹ *Noluis-*

1 nolissent. Illud quoque alterum quod in elocutione ipsa periculum, minus vitat, conaturque perdit: unde evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniatur, qui semper quærit quod nimium est: verum & raro evenit, & cætera vitia non pensat. 2 Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere majorem, quod dicunt omnia: doctis est & electio, & modus. His accedit, quod à cura docendi quod intenderint, recedunt. 3 Itaque illud quæstionum & argumentorum apud corrupta judicia 4 frigus evitant: nihilque aliud quam quo vel pravis voluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. *Sententia* quoque ipsæ, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas fordida & abjecta sunt: ut *lumina non inter umbras* (quemadmodum Cicero dicit) *sed plane in tenebris clariora sunt*. Itaque *ingeniosi* vocentur ut libet, dum tamen constet, contumeliose sic laudari disertum. Nihilominus confitendum est etiam detrahere doctrinam aliquid, ut *limam rudibus*, & *cotes hebetibus*, & *vino vetustatem*: sed vitia detrahit: 5 atque eo solo minus est quod literæ perpolierunt, quo melius. 6 Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius quærunt. Nam & clamant ubique, 7 & omnia *levata* (ut ipsi

1 Nolissent.] Alii leg. voluissent.

2 Propter hoc quoque.] *Indocti* nihil supprimunt, *docti* vero habent verborum & rerum delectum, & in his quoque mediocritatem servant: quorum alterum est *qualitatis*, alterum *quantitatis*. Turneb.

3 Itaque illud, &c.] A docendo, quod maxime proprium est oratoris, ad delectationem transeunt, egressionemque faciunt in locos amœnos, ut populo placeant. nam quæstionum & argumentorum tractatio ut difficilior & asperior est, ita populo molestior. *Idem*.

4 Frigus.] Budæus in commentariis linguæ græcæ hunc locum citat, ac *frigus* interpretatur, quod ingratum est, & absurdum videtur, minimeque plausible. *Idem*.

5 Atque eo solo.] Doctrina nimiam orationis copiam coercet: quamquam tamen detrahit, illa diminutio est optima, atque oratio eo est melior quam prius, quo minor est quam antea fuerat. *Idem*.

6 Verum hi.] Alia etiam causa est, sed multo potentissima, ab eorum actione tumultuosa perita, quæ populo placet, Fabio tamen libro undecimo displicet.

7 Et omnia (ut ipsi vocant manv, &c.) Vide Jan. Gebhard. Crepund. libro 1. cap. 13. pag. 42. Joh. Lininel. Not. in Propert. pag. 77. & Lud. Cresoll. Vacat. Autumn. lib. 2. cap. 1. sect. 4. pag. 117. cap. 3. sect. 2. p. 15. & seqq. cap. 9. sect. 9. p. 316. cap. 12. sect. 2. p. 378. cap. 13. sect. 1. p. 396. lib. 3. cap. 8. sect. 1. pag. 494.

ipsi vocant) *manu*, emugiunt, multo discursu, anhelitu, jactatione, gestu, motu capitis furentes. ¹ Jam *collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cedere*, mire ad ² pullatum circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa summittere, variare, disponere, ita etiam in pronuntiando suum cuique eorum quæ dicet, colorum accommodare actum sciat: & si quid sit perpetua observatione dignum, modestus & esse & videri malit. At illi hanc *vim* appellant, quæ est potius *violentia*: cum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consecuti, ommissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur, eosque qui plus honoris literis tribuerunt, & ineptos, & jejunos, & trepidos, & infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum occurrit, appellant. Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis: nos quando & præcipiendi munus etiam pridem deprecari sumus, ³ & in foro quoque dicendi, quia honestissimum finem putabamus: desinere dum desideraremur, ⁴ inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum, quæ futura usui bonæ mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

CAP.

¹ *Jam collidere manus.*] Hoc gestu utendum putat Fabius duntaxat in contentionibus. *Turneb.*

² *Pullatum circulum.*] *Circulus pullatus* appellatur turba populi & corona, vestibus pullis utentis, nam his vestibus plebs Romana utebatur, ut apparet ex Tranquillo in Augusto. *Idem.*

³ *Et in foro quoque.*] Fabius libro duodecimo ait oratorem quoque debere finem causarum agendarum mature facere, & ad otium se conferre. *Idem.*

⁴ *Inquirendo scribendoque, &c.*] Fabius quoque lib. 12. suadet ut orator cum finem agendi fecerit, cum alia studia tractet, tum etiam aliquid componat. *Idem.*

Generale

CAP. XIII.

Quis modus sit in arte.

Nemo autem à me exigat id præceptorum genus, ¹⁴ quod est à plerisque scriptoribus artium traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: ¹ utique *procæmium*, & id quale: proxima huic *narratio*: quæ lex deinde narrandi: *propositio* post hanc, vel, ut quibusdam placuit, ² *excursio*: tum *certus ordo questionum*, cæteraque quæ velut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam iussi sequuntur. Erat enim rhetorice res prorsus facilis ac parva, si uno & brevi præscripto contineretur: sed mutantur pleraque *causis, temporibus, occasione, necessitate*. ³ Atque ideo res in oratore præcipua consilium est, quia varie & ad rerum momenta convertitur. ⁴ Quid si enim præcipias imperatori, quoties aciem instruet, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? Erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit: sed mutabitur natura loci, *si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, sylvis, asperitate alia prohibebitur*. Mutabit hostium genus, mutabit præsentis conditio discriminis. nunc *acie directâ*, nunc ⁵ *cuneis*, nunc *auxiliis*, nunc *legione*

Generale caput ante artis ingressum tractat, docetque *rhetorices* præcepta non esse semper necessaria, sed plerumque rei utilitate & oratoris consilio immutari. reprehendit autem *technicos* quosdam, qui præcepta conscripserant, ut leges quasdam immutabiles. *Turnebus*.

¹ *Utique procæmium.*] *Technici* certum partium numerum præscribunt & certum ordinem: Fabius non semper totidem partibus esse opus putat, & artificiosam dispositionem plerumque mutari existimat. *Idem.*

² *Excursio.*] Notat sui temporis oratores, qui (ut scribit libro quarto) post narrationem egredi solebant in locum

amœnum. Idem.

³ *Atque ideo.*] Fabius libro sexto de *judicio & consilio* verba facit, quibus orator utitur ad dispositionem & inventionem rerum verborumque. ex horum præscripto immutari posse præcepta scribit. *Idem.*

⁴ *Quid si enim, &c.*] Vegetius scribit, plerumque ita aciem instrui ut frons directâ sit, quam utrinque cornua muniant. hæc tamen ratio non est perpetua. *Idem.*

⁵ *Cuneis.*] *Cuneus* est multitudo militum, ita digesta ut initio sit angusta, & paulatim dilatetur. *Cunco* uruntur, cum percurrere volunt hostium aciem. *Idem.*

legione pugnabitur: nonnunquam terga etiam dedisse ¹ simulata fuga proderit. ² Ita *proœmium* necessarium, an supervacuum: ³ breve, an longius: ad iudicem omni sermone directo, ⁴ an aliquando averso per aliquam figuram, dicendum sit: constricta an latius fusa *narratio*, ⁵ continua an divisa, recta an ordine permutato: causæ docebunt. Itemque de *quæstionum ordine*, ⁶ cum in eadem controversia aliud alii parti prius quæri frequenter expediat. ⁷ Neque enim rogationibus plebisve scitis sancta sunt ista præcepta, sed hoc quicquid est, utilitas excogitavit. ⁸ Non negabo autem sic utile esse plerunque, alioqui nec scriberem: verum si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc relictis magistrorum auctoritatibus sequemur. Equidem id maxime præcipiam, ac repetens iterum iterumque ⁹ monebo. ¹⁰ Res duas in omni actu spectet orator, *quid deceat, quid expediat*. Expedit autem sæpe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, & interim decet, ut in statuis atque picturis videmus, variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Nempe enim ¹¹ *adversa sit*

¹ *Simulata fuga.*] Significat *stratagemata* quæ sunt ab astuto & vasto ducis consilio. *Idem.*

² *Ita proœmium.*] Fabius libro quarto docet *proœmio* non esse utendum, si iudex satis præparatus est, aut causa præparatione non eget. *Idem.*

³ *Breve an longius.*] Si causa simplex est, breviori est opus *proœmio*; si perplexa aut multiplex, productiore. *Idem.*

⁴ *An aliquando averso.*] Nonnulli præcipiunt, in exordio dirigendum semper esse sermonem ad iudicem: Fabius tamen libro quarto docet, illic optime fieri interdum *apostrophes*. *Idem.*

⁵ *Continua an divisa.*] Fabius libro quarto docet interdum narrationem interrumpi posse: quod fecit Cicero in narratione pro Cluentio. *Idem.*

⁶ *Cum in eadem contr.*] Hac de re Fabius tractabit copiose lib. septimo, cap. de dispositione. *Idem.*

⁷ *Neque enim.*] Probat à fine, perpetua non esse præcepta. nam cum inventa sint causa utilitatis, illi debent cedere. *Idem.*

⁸ *Non negabo autem.*] Præcepta scribuntur aut de his quæ semper ita fiunt, aut de his quæ plurimum fiunt: ut in artibus opinabilibus & conjecturalibus, cujusmodi est rhetorica. *Idem.*

⁹ *Monebo.*] Virgil. *Æneidos* 3.

¹⁰ *Res duas in omni actu, &c.*] Ut pluribus in locis Cicero, ita quoque Fabius præcipit, ut videamus *quid deceat* & *quid expediat*. alterum ad decorum pertinet, ut omnia rebus & personis debite aptentur: alterum ad causæ utilitatem. hos itaque duos scopos sibi proponat orator in causa sua disponenda & agenda. *Turneb.*

¹¹ *Adversa sit facies.*] Appellat *faciem adversam*, è directo oppositam, & in neutram partem inclinatam. *Idem.*

¹ *Actum.*]

fit facies, & demissa brachia, & juncti pedes, & à summis ad ima rigens opus: flexus ille, & ut sic dixerim, motus, dat ¹ actum quendam effectis. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, & in vultu mille species. Cursum habent quædam & impetum, sedent alia, vel incumbunt. nuda hæc, illa velata sunt: quædam mista ex ² utroque. Quid tam distortum & elaboratum, quam est ille *Discobolos* ³ *Myronis*? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus, nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel præcipue laudabilis est illa ipsa novitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam & delectationem afferunt figuræ, quæque in sensibus, quæque in verbis sunt. Mutant enim aliquid à recto, atque hanc præ se virtutem ferunt, quod à consuetudine vulgari recesserunt. Habet in pictura speciem tota facies: Appelles tamen imaginem ⁴ *Antigoni* latere tantum altero ostendit, ut ⁵ amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quædam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt? ⁶ ut fecit *Timanthes*, ut opinor, *Cithnius*, in ea tabula qua Colotem Tejum vicit. Nam cum in *Iphigenia* immolatione pinxisset tristem *Calchantem*, tristiores *Ulysses*, addidisset *Menelao* quem summum poterat ars efficere mœrorem: consumptis affectibus, non reperiens quo digne modo patris vultum posset exprimere, velavit ejus caput, & suo cuique animo dedit æstimandum. Nonne huic simile est illud ⁷ *Sallustianum*, *Nam de Carthagine tacere satius puto, quam parum dicere?*

¹ *Actum.*] Aliàs, actum quendam, & factum.

² *Utroque.*] Plin. lib. 34. cap. 8.

³ *Myronis.*] Myro optimus statuarius *discobolum* fecit, id est discum jacentem, qua in statua mire expressit nixum & conatum hominis discum jacere molientis. *Turneb.*

⁴ *Antigoni.*] Plin. lib. 35. cap. 10.

⁵ *Amisii oculi deformitas.*] *Antigonus*, Philippo Perinthum obsidente, catapultæ sagitta oculum amisit. hoc

exemplum significat artis præcepta immutari ex ratione decori. *Turneb.*

⁶ *Ut fecit Timanthes.*] Scribit Plinius in *Timanthis* operibus non solum spectandam fuisse artem, verumetiam ingenium. Porro quemadmodum olim in certaminibus publicis committebantur poëtæ, ita quoque pictores, ut colligere licet ex multis locis Plinii. *Idem. Timanthes.*] Cicero in Orat. Plin. lib. 15. cap. 10. & Valerius lib. 8. cap. 12.

⁷ *Sallustianum.*] In *Jugurtha*.

cere? ¹ Propter quæ mihi semper moris fuit, quamminime alligare me ad præcepta quæ ² καθολικὰ vocant, id est (ut dicamus quomodo possumus) *universalia*, vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut subrui possit. Sed de his plenius suo quicque loco tractabimus. ³ Interim nolo se juvenes satis instructos, si quem ex his qui breves plerunque circumferuntur, artis libellum edidicerint, & velut decretis technicorum tutos putent. *Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, pluribus experimentis, altissima prudentia, presentissimo consilio constat ars dicendi.* Sed adjuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam monstrant: à qua declinare qui crediderit nefas, patiatum necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. ⁴ Itaque & ⁵ stratum militari labore iter sæpe deserimus compendio ducti: & si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur: & si janua tenebitur incendio, per parietem exhibimus. Late fufum opus est, & multiplex, & prope quotidie novum, & de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, & si quid mutari, adjici, detrahi melius videbitur, dicere experiar.

C A P.

¹ *Propter quæ.*] Ex superioribus demum colligit, universalia artis præcepta non esse semper observanda, sed omnia referenda esse ad decorum & utilitatem. Turneb.

² *Καθολικὰ.*] Catholicis præceptis non semper insistendum, & quibus præter illa constet ars dicendi.

³ *Interim nolo.*] Ad extremum utitur commotione, ne quis ex præceptis technicorum se satis putet instructum ad eloquentiam. *Technicos* autem appellat illos qui præcepta artis scripse-

runt, & universales præceptiones tradiderunt. Turneb.

⁴ *Itaque.*] Docet Fabius artis præcepta ampla esse debere, & quasi libera, non (ut *technici* volunt) stricta & immutabilia. alioqui enim obessent eloquentiæ, non prodesse. *Idem.*

⁵ *Stratum militari labore iter, &c.*] *Compendium* sive compendiarium, est via contractior, quam quis ambagibus relicta sectans, lucrum quasi lassitudinis facit. Vide Gebhard. Crepund. lib. 2. cap. 1. pag. 59.

Quosdam

CAP. XIV.

Rhetorices etymon, & totius operis divisio.

Retorice in Latinum transferentes, tum *oratoriam*,¹⁵ tum *oratricem* nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani sermonis augere tentaverint. Sed non omnia nos ducentes ex Græco sequuntur, ¹ sicut ne illos quidem quoties suis utique verbis signare nostra voluerunt. Et hæc interpretatio non minus dura est, quam illa ² Plauti ³ *essentia* atque *entia*: sed ne propria quidem. Nam oratoria sic efferetur, ut *elocutoria*: oratrix ut *elocutrix*. Illa autem de qua loquimur *rhetorice*, talis est, qualis *eloquentia*: nec dubie apud Græcos quoque duplicem intellectum habet. Nanque uno modo fit appositum, *ars rhetorica*, ut *navis piratica*: ⁴ altero nomen rei, qualis est *philosophia*, *amicitia*. Nos ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammaticè literatura est, non *literatrix*, quemadmodum *oratrix*: nec *literatoria*, quemadmodum *oratoria*. Verum in rhetorice non sic. Ne pugnemus igitur, cum præsertim plurimis alioqui Græcis sit utendum. Nam certe si & ⁵ *physicos*, & *musicos*, & *geometras* dicam: nec vim afferam his nominibus indecora in Latinum sermonem mutatione. Denique cum M. Tullius etiam ipsis librorum quos hac de re primum scripserat, titulis Græco nomine utatur, profecto non est verendum ne temere videamur

Quosdam reprehendit, qui *rhetorices* appellationem in Latinum male verterunt, atque nomine Græco esse utendum ut Latino. deinde *rhetoricen* partitur in *præcepta*, *oratore*, & *oratricem*. Turneb.

¹ *Sicut ne illos quidem.*] Nam quædam propria sunt linguæ Romanæ, quæ quidem Græcis inaudita fuerant: idcirco apud illos carent appellatione, ut *dictator*, *emancipatio*. Idem.

² *Plauti.*] Alias, *Flavii*, ut & infra

lib. 3. cap. 6. de statu. & lib. 8. cap. 3. de ornatu.

³ *Essentia atque entia.*] Duo hæc nomina *essentia* & *entia* significant substantiam, quæ dicitur Græcis *ἐστία*. Turnebus.

⁴ *Altero nomen rei.*] Nomina substantiva rem simpliciter significant, adjectiva vero adjunctionem quandam & appositionem, & quasi adhesionem. Idem.

⁵ *Physicos.*] Philosophos.

K 2

I Igitur

videamur oratori maximo de nomine artis suæ credidisse. ¹ Igitur *Rhetorice* (jam enim sine metu cavillationis utemur hac appellatione) sic, ut opinor, optime dividetur, ² ut *de arte*, *de artifice*, *de opere* dicamus. *Ars* erit, quæ disciplina percipi debet: ea est bene dicendi scientia. *Artifex* est, qui percipit hanc artem, id est orator, cujus est summa bene dicere. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id est bona oratio. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco, nunc quæ de prima parte tractanda sunt, ordiar.

¹ Igitur *Rhetorice*.] Hæc Fabii divisio consentit cum Ciceronis partitione, qua distribuit doctrinam dicendi, in *vim oratoris*, *orationem* & *quæstionem*. nam vis oratoris complectitur artem & artificem, oratio opus. operi porro & arti admixta est materia, quæ appellatur quæstio. *Idem*.

² *Ut de arte*.] Uberrime totam facultatem est complexus, cum de arte dicat, & de oratore in quo est ars, & de oratione quæ ex artis præceptis ab oratore efficitur: perinde ac si diceret de *qualitate*, de *subjecto*, & de *effectu*. *Idem*.

C A P. XV.

Quid sit rhetorice, & quis ejus finis.

¹⁶ **A**Nte omnia, quid sit *rhetorice*: quæ finitur quidem varie, sed quæstionem habet duplicem. ¹ aut enim *de qualitate ipsius rei*, aut *de comprehensione verborum* dissensio est. Prima ac præcipua opinionum circa hoc differentia, ² quod alii malos quoque viros posse oratores dici putant: alii (quorum nos sententiæ accedimus) nomen hoc, artemque de qua loquimur, bonis demum tribui volunt. Eorum autem qui dicendi facultatem à majore ac magis expetenda vitæ laude fecernunt, quidam *rhetoricen vim* tantum, quidam

Varias ponit *rhetorices* definitiones, varios quoque fines, quibus improbat demum colligit *rhetorices esse* finitionem, *scientiam bene dicendi*: finem vero, *bene dicere*. Turneb.

¹ *Aut enim de qualitate*.] In definitionibus interdum quæritur verumne

hoc an falsum, quod ad qualitatem est referendum: ut an *rhetorice* bona est, an mala, interdum vero plusne complectatur an minus, quod ad comprehensionem verborum referri debet. *Idem*.

² *Quod alii malos*.] Hunc locum Fabius exequitur fusius cap. 1. lib. 12. *Idem*.

1 Karg-

dam *scientiam*, sed non virtutem, quidam *usum*, quidam *artem* quidem, sed à scientia & virtute sejunctam, quidam etiam *pravitatem* quandam *artis*,¹ id est *κακῆς τεχνικῆς* nominaverunt. Hi fere aut *in persuadendo* aut *in dicendo apposite* ad persuadendum positum orandi munus sunt arbitrati. Id enim fieri potest ab eo quoque, qui vir bonus non sit. Est igitur frequentissimus finis rhetorices, *vis persuadendi*. Quod ego *vim* appello, plerique *potestatem*, nonnulli *facultatem* vocant: quæ res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico *τῆς δυνάμεως*. Hæc opinio² originem ab Isocrate (si tamen re vera ars quæ circumfertur ejus est) duxit. Qui cum longe sit à voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens esse rhetorice *persuadendi opificem*, id est *περὸς δειμιουργόν*. Neque enim mihi permiserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum³ *Suada medullam*⁴ vocat.⁵ Apud Platonem quoque *Gorgias* in libro qui nomine ejus inscriptus est, idem fere dicit: sed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non suam.⁶ Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, *dicere apposite ad persuadendum*. In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse⁷ non probat, finem facit *persuadere*.⁸ Verum & pecunia persuadet, & gratia, & auctoritas dicentis, & dignitas, & postremo aspectus etiam ipse sine voce, quo vel recordatio

merito-

1 *Κακῆς τεχνικῆς*.] *Κακῆς τεχνικῆς* appellamus eam artem, quæ non ad bonum, sed ad malum est comparata: cujusmodi est ars magica. Porro nonnulli *rhetorica* ad hominum perniciem abutuntur. *Idem*.

2 *Originem ab Isocrate duxit*.] Cicero negat se quicquam vidisse scriptum de rhetorica ab Isocrate: cujus opinionem sequi videtur Fabius. negat enim eum libellum, qui ejus nomine ferebatur, ab eo scriptum. *Idem*.

3 *Suada medullam*.] Ennii versus est de Cethego, *Flos delibatus populi, Suadaeque medulla*. Nomen hoc autem ut durum reformidat Fabius. itaque non

vertit, *opificem Suadae*, sed *persuadendi*. *Idem*.

4 *Vocat*.] Cicero in Bruto & Catone.

5 *Apud Platonem quoque*.] Apud Platonem *Gorgias* ait rhetorices esse finem, in quocunque cœtu persuadere auditori. *Turneb.*

6 *Cicero*.] De Orat. 1.

7 *Non probat*.] Nam libro primo de Oratore ait libros illos sibi rudes & impolitos excidisse. *Turneb.*

8 *Verum & pecunia*.] Superiores finitiones & fines rhetorices improbat, cum sint in communitate, non in proprietate. *Idem*.

meritorum cujusque, vel facies aliqua miserabilis, ¹vel formæ pulchritudo sententiam dicat. Nam & ²M. Aquilium defendens Antonius quum scissa veste cicatrices quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc ut absolveret reum, creditum est. ³Sergium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in concionem produxerat, sed Galli etiam Sulpitii filium suis ipse manibus circumtulera, elapsam esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. ⁴Et Phrynem non Hyperidis actione, quanquam admirabili, sed aspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam. Quæ si omnia persuadent, non est hic de quo locuti sumus, idoneus finis. Ideoque diligentiores visi sunt sibi, qui cum de rhetorice idem sentirent, existimaverunt eam ⁵vim dicendo persuadendi. Quem finem Gorgias in eodem, de quo supra diximus libro, velut coactus à Socrate facit. à quo non dissentit ⁶Theodectes, sive ipsius id opus est quod de rhetorice nomine ejus inscribitur: ⁷sive, ut creditum est, Aristotelis:

¹ Vel forma pulchritudo sent. dicat.] Adeundus Lud. Crescoll. Vacat. Autumnal. lib. 3. cap. 29. sect. 3. p. 647.

² M. Aquilium.] M. Aquilius in Sicilia bellum servile confecit: is tamen postea repetundarum est accusatus, quod socios expilasset. quem cum defenderet Antonius, nudavit diloricata veste. Turnebus. M. Aquilium defendens.] Cicero 2. de Orat. & 7. in Verrem act. Valer. lib. 8. tit. 1.

³ Sergium quidem Galbam.] Sergius Galba prætor in Hispania Lusitanorum manum fide publica interposita interemit. ideo accusatus est à Libone trib. pl. subscriptore etiam Catone. Turneb.

⁴ Et Phrynem.] Athenæus in Dipnosophistis. ait, cum accusata fuisset Phryne meretrix rei capitalis, & ab Hyperide

de defenderetur, cum ejus oratio iudices non flecteret, ab ipso Hyperide diductam esse ejus tunicam, atque ita evasisse. Turneb. Phrynem.] Phrynem meretricem Thespiensem capitis ream factam ab Euthina, defendit Hyperides. Qui cum sensisset oratione sua non permoveri iudices; productæ in medium vestem discidit, & pectus nudavit: tum omni oratione ad miserationem conversa, extorsit iudicibus absolutionem. Camerar.

⁵ Vim dicendo persuadendi.] Hæc etiam fuit Ciceronis sententia in rhetoricis, ut videatur Fabius cavillatorem egisse. Turneb.

⁶ Theodectes.] Vide Valer. lib. 8. c. 15.

⁷ Sive Aristotelis.] Librum de rhetorice donavit discipulo Theodecti Aristoteles.

stotelis: in quo est finem esse rhetorices, *ducere homines dicendo in id quod actor velit*. Sed ne hîc quidem satis est comprehensum. persuadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alii quoque, ut *meretrices, adulatores, corruptores*. At contra non persuadet semper orator: ut interim non sit proprius hic finis ejus: interim sit communis cum iis qui ab oratore procul absunt. Atqui non multum ab hoc fine abest ² Apollodorus, dicens judicialis orationis primum & super omnia esse *persuadere judici, & sententiam ejus ducere in id quod velit*. Nam & ipse oratorem fortunæ subjicit: ut si non persuaserit, nomen suum retinere non possit.

Quidam recesserunt ab eventu, sicut ³ Aristoteles, qui dicit, *rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia*. Qui finis & illud vitium de quo supra diximus, habet & insuper, quod nihil nisi inventionem complectitur, quæ sine elocutione non est oratio. ⁴ Hermagoræ qui finem ejus esse ait *persuasibiliter dicere*, & aliis qui eandem sententiam non eisdem tantum verbis explicant, ac finem esse demonstrant dicere quæ oporteat omnia ad persuadendum: satis responsum est cum *persuadere* non tantum oratoris esse convicimus.

Addita sunt his alia varie. ⁵ Quidam enim *circa res omnes*, quidam *circa civiles* modo versari ⁶ *rhetoricen* putaverunt. quorum verius utrum sit, in eo loco qui hujus quæstionis proprius

stoteles, qui sub *Theodectis* etiam nomine est emissus: eum tamen ut suum Aristoteles postea asseruit. *Turneb.*

¹ *Corruptores.*] *Perductores.* Pith.

² *Apollodorus.*] Angustiorẽ præscripsit finem Apollodorus, & judicialibus duntaxat causis comprehensum. nam eas solas in arte tractavit, ut docet Fab. lib. 3. *Turneb.*

³ *Aristoteles.*] Lib. 1. Rhetoric.

⁴ *Hermagora.*] Scribit Fortunatianus Hermagoram non simpliciter pronunciasse finem rhetorices esse, *persuasibi-*

liter dicere, sed ut vitaret cavillationes addidisse, quoad pateretur rei natura & personæ conditio: ut hîc videatur Fabius agere sophistam. & alioqui superiores fines si recte intelligantur, nihil peccant. *Turneb.*

⁵ *Quidam enim circa.*] Hac de re Fabius tractabit in fine lib. 2. nam hoc non ad finem pertinet, sed ad materiam. *Idem.*

⁶ *Rhetoricen putaverunt.*] Cap. 21. hujus lib. de materia rhet.

proprius est, dicam. Omnia subjecisse oratori videtur Aristoteles, cum dixit, ¹ *vim esse dicendi quid in quaque re possit esse persuasibile.* Et Patrocles, qui non quidem adjicit, *in quaque re*: sed nihil excipiendo, idem ostendit. *Vim* enim vocat *inveniendi quod sit in oratione persuasibile.* qui fines & ipsi solam complectuntur inventionem. Quod vitium fugiens Theodorus, *vim putat inveniendi & eloquendi cum ornatu credibilia in omni oratione.* Sed cum eodem modo credibilia quo persuasibilia etiam non orator inveniatur: adjiciendo, in omni oratione, magis quam superiores concedit scelera quoque persuadentibus, pulcherrimæ rei nomen. ² Gorgias apud ³ Platonem, persuadendi se artificem in judiciis & aliis cæteribus esse ait: de justis quoque & injustis tractare: cui Socrates *persuadendi non docendi* concedit facultatem. Qui vero non omnia subjeciebant oratori, sollicitius ac verbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina: quorum fuit Ariston Critolai Peripatetici discipulus, cujus hic finis est *scientia videndi & agendi in* ⁴ *questionibus civilibus per orationem popularis persuasionis.* Hic *scientiam*, quia Peripateticus est, ⁵ non ut Stoici, virtutis loco ponit: *popularem* autem comprehendendo *persuasionem*, etiam contumeliosus est adversus artem orandi, quam nihil putat doctis persuasuram. Illud de omnibus qui circa civiles demum quæstiones oratorem judicant versari, dictum sit, Excludi ab his plurima oratoris officia: illam certe *laudativam totam*, quæ est rhetorices pars

¹ *Vim esse dicendi.*] Apparet hic pro *dicendi*, legendum esse *inveniendi*, ut antea: & alioqui postea hunc finem dixit solam complecti inventionem. forte tamen *Videndi* legi possit. legitur enim apud Aristotelem, τὴν θεωρητικὴν. Turnebus.

² *Gorgias apud Platonem.*] Gorgias dicit oratorem persuadere in foro iudicibus, in senatu senatoribus, in concione auditoribus, & in cæteris quoque cæteribus, quod illi concedit Socrates. *Idem.*

³ *Platonem.*] Vide Joah. Camera-rium hic.

⁴ *Questionibus civilibus.*] Hermogenes *questionem civilem* finit, controversiam quæ vel à legibus vel à consuetudinibus oriatur, in qua tractetur de opinato vel iusto, vel honesto, vel utili. Turnebus.

⁵ *Non ut Stoici.*] Peripateticis scientia tam bona est quam mala: Stoicis vero duntaxat bona, qui alioqui (ut scribit Cicero 2. de Orat.) rhetoricam virtutem ponunt & sapientiæ partem. *Idem.*

pars tertia. ¹ Cautius Theodorus Gadareus, ut jam ad eos veniamus qui *artem* quidem esse eam, sed *non virtutem*, putaverunt. Ita enim dicit (ut ipsis eorum verbis utar qui hoc ex Græco transtulerunt) *Ars inventrix, & judicatrix, & enuntiatrix decente ornata secundum mentionem ejus quod in quoque potest sumi persuasibile in materia civili.* ² Itemque Cornelius Celsus, qui finem rhetorices ait, *dicere persuasibiliter in dubia, & civili materia.* Quibus sunt non dissimiles, qui ab aliis traduntur, qualis est ille, ³ *Vis dicendi & eloquendi de rebus civilibus subjectis sibi, cum quadam persuasione, & quodam corporis habitu, & eorum quæ dicet pronuntiatione.* Mille alia, sed aut eadem, aut ex eisdem composita: quibus item cum de materia rhetorices dicendum erit, respondebimus. Quidam eam neque *vim*, ⁴ neque *scientiam*, neque *artem* putaverunt: sed Critolaus *usum dicendi*: nam hoc $\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma$ significat. ⁵ Athenæus *fallendi artem.* ⁶ Plerique autem dum pauca ex Gorgia Platonis, à prioribus imperite excerpta, legere contenti, neque hoc totum, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac esse opinione: ⁷ *ut rhetorice non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis existimet: & alio loco,*
civilis-

¹ Cautius Theodorus.] Theodorus Gadareus à Gadaris urbe Judææ est appellatus, qui tamen se Rhodium dici maluit, quia diu Rhodi erat professor. Idem.

² Itemque Cornelius.] Celsum reprehendit Fabius libro tertio cap. 5. quod scripserit, oratorem duntaxat dicere de re dubia. orator quoque non solum in negotiis civilibus, sed extra negotia versatur. Idem.

³ Vis dicendi & eloquendi.] Forte melius loco *Dicendi*, legeretur *Videndi*, quod refertur ad inventionem. Idem.

⁴ Neque scientiam neque artem.] Scientia certissima est, & acquiritur per $\delta\epsilon\mu\sigma\tau\rho\nu\sigma$, id est demonstrationem: ars

verò constat præceptionum comprehensione tendentium ad unum scopum. Idem.

⁵ Athenæus.] Athenæus, ut inquit Strabo, philosophus fuit Peripateticus, qui tempore Augusti Cæsaris Romæ aliquandiu vixit. Idem.

⁶ Plerique autem.] Auctoritatem Platonis, quæ objiciebatur, ac majoris erat momenti, diligentius Fabius excutit, & adhibita distinctione ostendit Platonem voluisse ut *rhetor bene diceret, & justus esset.* Idem.

⁷ Ut Rhetorice.] Sunt hæc verba Socratis apud Platonem, quibus respondet Polo. Turnebus. *Rhetorice.] Rhetorice $\kappa\alpha\tau\alpha\tau\epsilon\chi\eta\iota\kappa\alpha$ falso ex Platone.*

¹ *civilitatis particula simulacrum*, ² & quartam partem adulationis: quod ³ duas partes civilitatis corpori assignet, *medicinam*, & quam interpretantur ⁴ *exercitatricem* duas animo, *legalem*, atque *justitiam*: *Adulationem* autem *medicinæ* vocet coquorum artificium: & *exercitatricis*, ⁵ *mangonum*, qui colorem fucō, & verum robur inani sagina mentiantur: *legalis*, cavillatricem: *justitia*, rhetorice. Quæ omnia sunt quidem scripta in hoc libro, dictaque à Socrate, cujus persona videtur ⁶ Plato significare quid sentiat: ⁷ sed alii sunt ejus sermones ad coarguendos qui contra disputant compositi, quos *ελεγκτικὸς* vocant, alii ad præcipiendum, qui *δωγματικὸς* appellantur. ⁸ Socrates autem, seu Plato, eam quidem quæ tum exercebatur rhetorice, talem putavit. nam & dicit his verbis *τῆτον τὴ τρέπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε*. Non veram autem & honestam intelligit. Itaque disputatio illa contra Gorgiam ita clauditur, *ἐκὲν ἀνάγκη τὴ ῥητορικὸν δικαίον εἶναι, τὴ δὲ δικαίον βέλτερόν δικαίον καὶ πρόσιον*. Ad quod ille quidem conticescit, sed sermonem suscipit Polus juvenili calore inconsideratior: contra quem illa de simulacro & adu-

1 *Civilitatis particula.*] *Civilitatem* appellat *politice*, quæ quidem est ars bene constituendæ & gerendæ Reip. Partes ejus sunt *legalis*, & *justitia*. *justitiam* porro in speciem æmulatur rhetorice. *Idem*.

2 *Et quartam partem adulationis.*] Appellat Plato *adulationem*, simulachrum quoddam fucatum rei veræ & genuinæ: quemadmodum *sophistica ars* imitatur *legalem*, *ars mangonum* *gymnasticam*. *Idem*.

3 *Duas partes.*] Paulo diversius Plato. ait enim nos corpore animoque constare, ac utrique parti suam præesse artem, *animo civilem*, *corpori* quandam quæ nomine careat, duas tamen habeat species, *medicinam* & *gymnasticam*. *civilem* autem dividit in *nomotheticam* & *justitiam*. *Idem*.

4 *Exercitatricem.*] *Gymnasticæ* ars est, quæ bonam habitudinem, quam appel-

lat *ὀρεξίαν*, corpori humano præstat idoneis cibis & exercitationibus. *Idem*.

5 *Mangonum.*] *Mangones*, qui & *venalitarii* appellantur, sunt qui mancipia vendunt: quorum corpora fucant, ut speciosiora videantur. *Idem*.

6 *Plato.*] Plato in *Gorgia*, lib. 24.

7 *Sed alii sunt, &c.*] Respondet objectioni per *diastolen*. appellat autem *dialogos* quosdam *consultatorios*, quibus sententiam eorum quibuscum Socrates disputat, refutat: ex quibus vera Platonis sententia erui non potest: hujuscemodi est *Gorgias*: Quosdam rursus *præceptorios*, in quibus sua dogmata & placita constituit Plato. *Idem*.

8 *Socrates autem.*] Veram rhetoricam non exagitat in *Gorgia* Plato, sed fucam & pravam, qualem exercebant *sophistæ* tempore Platonis. Polus *sophista* fuit *Agrigentinus*, *Gorgiæ* discipulus. *Idem*.

1 *Adhuc*

adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitator, qui tamen ad hanc perducitur clausulam, ἡ μέλλουσα ὁρθῶς ῥητορικὴν ἔσται, δικαίων ἄρα δεῖ εἶναι καὶ ἐπισήμωνα ἡ δικαίων. ut appareat Platoni non rhetoricen videri malam, sed eam veram nisi iusto ac bono non contingere. ¹ Adhuc autem in Phædro manifestius facit hanc artem consummari citra iustitiæ quoque scientiam non posse: cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defensionem Socratis, & ² eorum qui pro patria ceciderant, laudem scripsisset? quæ certe sunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus quod facultate dicendi male utebatur, invecus est. Nam & ³ Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat: & tum maxime ⁴ scribere litigatoribus quæ illi pro se ipsi dicerent, erat moris: atque ita iuri, quo non licebat pro altero agere, ⁵ fraus adhibebatur. ⁶ Doctores quoque ejus artis parum idonei Platoni videbantur qui rhetoricen à iustitia separarent, & veris credibilia præferrent: nam id quoque dicit in Phædro. Consensisse autem illis superioribus videri potest etiam Cornelius Celsus, cujus hæc verba sunt, *Orator simile tantum veri petit.* Deinde paulo post, *Non enim bona conscientia, sed victoria, litigantis est præmium.* Quæ si vera essent, pessimorum hominum foret, hæc tam pernitiōsa nocentissimis moribus dare instrumenta, & nequitiam

¹ *Adhuc autem in Phædro.*] Opponit aliam Platonis auctoritatem, quæ sumpta est à dialogo dogmatico. illic autem Socrates insectans sophistas, eloquentem scribit esse debere iustum, & rerum cognitione instructum. *Idem.*

² *Eorum qui pro patria ceciderant.*] Scripsit epitaphium Plato Atheniensium quorundam, qui in bello perierant. quæ oratio ita placuit (ut inquit Cicero) ut quotannis in concione certo die recitaretur. *Idem.*

³ *Socrates.*] Cicer. 1. de orat. Valer. lib. 6. tit. 4. & Laërt.

⁴ *Scribere litigatoribus.*] Lex erat Athenis, ne quis suæ causæ ergo patronum

adhiberet: oratores tamen solebant litigatoribus orationes scribere, quas ediscebant, & coram iudice pronuntiabant. *Turneb.*

⁵ *Fraus adhibebatur.*] Nam salvis legis verbis, legis sententia circumveniebatur, & fiebat contra legis voluntatem. *Idem.*

⁶ *Doctores quoque ejus artis parum idonei, &c.*] Excudit & investigat Platonis voluntatem Fabius, ut superiorum objectionem solvat. nam taxavit sophistas qui dicendi peritiam à bene faciendo se junxissent, ut docuit in præfatione libri primi. *Idem.*

1 *Scientia*

quitiam præceptis adjuvare. Sed illi rationem opinionis suæ viderint. Nos autem ingressi formare perfectum *orator*, quem in primis esse *virum bonum* volumus, ad eos qui de hoc opere melius sentiunt, revertamur. *Rhetoricen* autem quidam eandem *civilitatem* esse judicaverunt: Cicero ¹ *scientiæ civilis partem* vocat. *Civilis* autem *scientia* idem quod *sapientia* est. Quidam etiam philosophiæ, quorum est ² *Isocrates*. Huic ejus substantiæ maxime convenit finitio, *Rhetoricen esse bene dicendi scientiam*. Nam & orationis omnes virtutes semel complectitur, & protinus mores etiam oratoris, cum bene dicere non possit nisi vir bonus. Idem valet Chryssippi finis ille ductus à Cleanthe, *scientia recte dicendi*. ³ Sunt plures ejusdem, sed ad alias quæstiones magis pertinent. Idem sentiret finis hoc modo comprehensus, *Persuadere quod oporteat*: nisi quod artem ad exitum alligat. ⁴ Bene Areus, *Dicere secundum virtutem orationis*. Excludunt à rhetorice malos & illi qui scientiam civilium officiorum eam putaverunt, si scientiam virtutem judicant: sed anguste intraque civiles quæstiones coercet. Albutius non obscurus professor atque auctor *scientiam bene dicendi* esse consentit: sed exceptionibus peccat, adjiciendo, *circa civiles quæstiones, & credibiliter*. quarum jam utriusque responsum est. Probabilis & illi voluntatis, qui *recte sentire & dicere*, rhetorices finem putaverunt. Hi sunt fere fines maxime illustres, & de quibus præcipue disputatur. Nam omnes

¹ *Scientia civilis partem.*] Cicero in rhetoricis eos reprehendit, qui facultatem civilem ajunt esse posse citra rhetoricen. rursus illos arguit qui credunt in rhetorices artificio totam civilitatem esse positam. *Civilis facultas* interdum pro morali scientia usurpatur, quæ per excellentiam appellatur *sapientia*: aliquando vero ars est constituendarum rerum-publicarum, quæ pars est scientiæ moralis, quo etiam modo *sapientia* dicitur. *Idem.*

² *Isocrates.*] In vetustis codicibus,

Socrates legitur. nam & Socrates in Phædro Platonis, ab oratore rerum cognitionem flagitat, quod est philosophiæ. & hoc alioqui repugnat cum superiori Isocratis opinione. *Idem.*

³ *Sunt plures ejusdem, sed, &c.*] Nam interdum ducuntur finitiones à materiali causa; vel ab accidentium & proprietatum enumeratione: sed non pertinet ad hunc locum. *Idem.*

⁴ *Bene Areus.*] Areus rhetor fuit, cujus meminit Fabius initio lib.3. *Idem.*

omnes quidem persequi, nec attinet, nec possum: cum primum quoddam (ut arbitror) studium circa scriptores artium extiterit, nihil eisdem verbis quæ prior aliquis occupasset, finiendi: quæ ambitio procul aberit à me. Dicam enim non utique quæ invenero, sed quæ placebunt: sicut hoc, *rhetoricen esse bene dicendi scientiam*: cum reperto quod est optimum, qui quærit aliud, pejus velit. His approbatis, simul manifestum est illud quoque, quem finem, vel quid summum & ultimum habeat rhetorice, quod *ἄλθ* dicitur, ad quod omnis ars tendit: nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis ejus & summum est bene dicere.

¹ *Vel quid summum & ultimum.*] Hoc adiecit ut distingueret ambiguitatem. *causam finalem, de qua nunc agit. Idem.*
 nam & finis significat finitionem &

C A P. XVI.

An utilis sit rhetorice.

SEquitur quæstio, an utilis ¹ *rhetorice*. Nam quidam vehementer in eam invehi solent: &, quod sit indignissimum, ² in accusationem orationis utuntur orandi viribus: *Eloquentiam esse quæ pœnis eripiat scelestos, cujus fraude damnentur interim boni: consilia ducantur in pejus: nec seditiones modo turbæque populares, sed bella etiam ³ inexpugnabilia excitentur: cujus denique tum maxime sit usus, cum pro falsis contra veritatem valet.* ⁴ Nam & Socrati objiciunt comici, *docere eum quomodo pejorem causam meliorem faciat*: & ⁵ contra Tisiam & Gorgiam

Quæ rhetoricæ insunt tractat, quæstionemque qualitatibus proponit: ac improbat quorundam sententiis, statuit nihil esse sermone homini utilius à deo datum. Turneb.

¹ *Rhetorice.*] Ut Picus Mirandula adversus Hermolaum.

² *In accusationem orationis utuntur orandi viribus.*] Sic Cicero libro primo de Oratore ait Platonem in Gorgia in oratoribus irridendis sese maximum

oratore præstitisse. hæc quæstio tractatur à Cicerone libro primo de Oratore, & libro primo de Inventione. Turneb.

³ *Inexpugnabilia.*] Inexpugnabilia.

⁴ *Nam & Socrati.*] Aristophanes in Nebulis objicit Socrati, quod inferiorem causam polliceretur se facere superiorem: quæ fuit arrogans etiam professio sophistarum, ut docet Cicero in Bruto. Turneb.

⁵ *Contra Tisiam.*] Locus supra positus est

giam similia dicit polliceri Plato. Et his adjiciunt exempla Græcorum Romanorumque, ¹ & enumerant qui pernicioſa non ſingulis tantum, ſed rebus etiam publicis uſi eloquentia turbaverint civitatum ſtatus, vel everterint: eoque & ² Lacedæmoniorum civitate expulſam: ³ & Athenis quoque, ⁴ ubi actor *move*re affectus vetabatur, velut recifam orandi poteſtatem. Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſapientia. Nam & dux ⁵ Flaminius, & Gracchi Saturnini ⁶ Glauciæ magiſtratus, & in medicis venena, & in iis qui philoſophorum nomine male utuntur, graviffima nonnunquam flagitia deprehenſa ſunt. Cibos aſpernemur, attulerunt ſæpe valetudinis cauſſas. Nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius, poteſt uti eodem ferro latro. Quis neſcit ignes, aquas, ſine quibus nulla ſit vita, & (ne terrenis immorer) Solem Lunamque præcipua ſiderum, aliquando etiam nocere? Num igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem ⁷ cæcus ille ⁸ Appius dicendi viribus diremiſſe?

rus ex Phædro. De Socrate notum eſt ex Nubibus Ariſtophanis. Græci autem hoc ita dicunt, ἡ ἴστω λόγον κρείττω ποιεῖν. *Camerar.*

¹ *Et enumerant qui pernicioſa, &c.*] Sic apud Ciceronem libro primo de Oratore Scævola malos oratores permultos enumerat, ut pernicioſam doceat eloquentiam. *Turneb.*

² *Lacedæmoniorum civitate expulſam.*] Præſcripſit tamen Lycurgus, ut Spartani pueri honeſtam orationem docerentur, ſed tamen brevem. *Idem.*

³ *Et Athenis quoque.*] Hoc fiebat poſtiſſimum in Areopago: quod inſtitutum eſt ob judicium Phrynes meretricis, quæ miſeratione judicium evaſit. *Idem.*

⁴ *Ubi actor move*re.] Athenæus 13. Abſoluta Phryna, ſcitum factum eſt, ne cui dicenti pro altero, miſeratione

uti liceret, neve reum aut ream in judicio aſpici fas eſſet. *Camerar.*

⁵ *Flaminius.*] Flaminius conſul ad Thraſimenum lacum victus ab Hannibate, inſignes pop. Rom. copias perdidit. Liv. dec. 3. lib. 2. *Turneb.*

⁶ *Glauciæ.*] Glaucia, ut inquit Cicero in Bruto, homo pernicioſus, ex infimis ſordibus ad præturam pervenit, conſulque factus eſſet, niſi cum Saturnino interfecſus fuiſſet. *Idem.*

⁷ *Cæcus ille Appius.*] Pyrrhus rex Epirotarum, militaris diſciplinæ peritiſſimus, in Italiam trajecit cum exercitu, multisque detrimentis pop. Rom. affecit, conditioneſque pacis demum iniquas obtulit, quibus Patres aſſentiebantur: Appius tamen Claudius oratione ſua Patribus diſſuaſit. *Idem.*

⁸ *Appius.*] Hiſtoriam annotavit Florus ex 13. lib. Livii. *Camerar.*

se? Aut non divina M. Tullii eloquentia & contra ¹ leges Agrarias popularis fuit? ² & Catilinæ fregit audaciam? & supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit? Nonne perterritos militum animos frequenter à metu revocat orator? & tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potiore esse persuadet? Neque vero me Lacedæmonii atque Athenienses magis moverint, quam pop. Romanus, apud quem summa semper ³ oratoribus dignitas fuit. ⁴ Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota: nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent. Quin ipsa vitæ præcepta, etiam si natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare etiam si in utranque partem valent arma facundiæ, *non tamen est æquum id haberi malum, quo bene uti licet.* ⁵ Verum hæc apud eos fortasse quarantur, qui summam rhetorices ad persuadendi vim retulerunt. Si vero est *bene dicendi scientia*, quem nos finem sequimur, ut sit *orator* in primis *vir bonus*: utilem certe eam esse confitendum est. ⁶ Et hercle deus ille princeps parens rerum,

¹ *Leges Agrarias.*] Servilius Rullus trib. pleb. legem tulit de agris populo dividendis, coloniisque deducendis. eam legem Cicero consul dissuasit. Plin. lib. 7. cap. 30. Turnebus.

² *Et Catilinæ fregit audaciam.*] Nam Ciceroni in Senatu respondere non ausus est Catilinæ, ut docet Cicero in Bruto. *Idem.*

³ *Oratoribus dignitas fuit.*] Cicero testatur, post imperatores maximam obtinuisse dignitatem oratores Romæ, eorumque majorem fuisse gloriam quam jurisconsultorum. *Idem.*

⁴ *Equidem nec urbium conditores.*] Hoc sumptum est ex libro primo de inventionibus, ubi Cicero *eloquentiæ principium*

urbium conditoribus tribuit. *Idem.* *Equidem.*] L. tamen Crassus censor magistratos dicendi sustulit. Cicero 3. de orat. & Suet. de claris rhetorib.

⁵ *Verum hæc.*] Ex constitutione superioris dogmatis exceptionem ducit, quæ summovet objectionem adversariorum, & *eloquentiæ præstantiam* laudat. Turneb.

⁶ *Et hercle.*] Galenus quoque in prætreptico ad bonas artes, scribit hominem sermone magis à brutis differre quam ratione, cum rationis quadante nus exortia non sint, quod dicere videtur Fabius. estque hic locus ex Cicero ne sumptus. *Idem.*

1 Nam

rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit à cæteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quam *dicendi facultate*. ¹ Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate præstantiora in illis mutis, videmus eadem minus egere acquisita extrinsecus opis. Nam & ingredi citius, & pasci, & transire aquas citra docentem natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur, & arma his ingenua quædam, & ex obvio fere victus: circa quæ omnia multis hominibus labor est. Rationem igitur nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. ² Sed ipsa ratio neque tam nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quam intellectum & cogitationem quandam videmus. Nam & moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus, & excludere, quin etiam reponere in hyemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum & mellis, efficere, nonnullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone quæ id faciunt, ³ *muta* atque *irrationabilia* vocantur. Denique homines quibus negata vox est, quantum adjuvat animus ille cœlestis. ⁴ Quare si nihil à diis oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut ⁵ in quo malimus præstare hominibus, quam quo ipsi homines cæteris animalibus præstant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam

¹ *Nam corpora quidem, &c.*] Ideo Epicurus dicebat *omnia fortuna facta esse, hominique naturam fuisse novercam, belluis benignam parentem*: quod refutat Lactantius in libello de opificio Dei. *Idem.*

² *Sed ipsa ratio.*] Donavit nos Deus *ratione*, ideoque etiam *sermone*, ne ratio nostra inclusa torpesceret. *Idem.*

³ *Muta atque irrationabilia.*] Videtur allusisse ad etymologiam verbi græci. nam *ἄλογον* non solum significat irra-

tionale, verum etiam *mutum*. aut sensus est, animalia non prorsus esse irrationabilia, sed quia sermone carent, idcirco & *muta* & *irrationabilia* vocari. *Idem.*

⁴ *Quare si nihil, &c.*] Hanc sententiam est mutuatus à Cicerone Fabius. sic enim ille loquitur libro primo de Orat. de Inventione. *Idem.*

⁵ *In quo malimus præstare hominibus.*] Vid. Cicer. lib. 1. Offic. ut & Sidonium lib. 4. Epist. 17.

gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde, & quousque jam provecta sit orandi facultas, & adhuc augeri potest. Nam ut omittam, *defendere amicos, regere consilium senatum, populum, exercitum in quæ velit ducere, quam sit utile, conveniatque bono viro*: nonne pulchrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu, verbisque quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis & gloriæ, ut non loqui & orare, sed quod Pericli contigit, *fulgurare ac tonare* videaris?

I *Fulgurare ac tonare videaris?*] Cic. Orat. ex Aristophane.

C A P. XVII.

An rhetorice sit ars.

FINIS non erit, si expatiari parte in hac, & indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad eam quæstionem quæ sequitur, *an rhetorice ars sit*. Quod quidem adeo ex iis qui præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis liberorum titulis testatum sit scriptos eos *de arte rhetorica*: *Cicero* vero etiam quæ *rhetorice* vocetur esse artificiosam eloquentiam dicat. Quod non oratores tantum vindicarunt, ut studiis aliquid suis præstitisse videantur: sed cum his philosophi & *Stoici* & *Peripatetici* plerique consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem. nam quis est adeo non ab eruditione modo, sed à sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem,

Hanc quæstionem appellant dialectici, *qualis sit*: quæ tractanda est post quæstionem, *An sit*, & *Quid sit*, ac si naturam esset secutus Fabius, non connectendi commoditatem, hoc caput superiori præposuisset: quanquam hoc caput à superiori imperite est divulgatum. *Turneb.*

I *An rhetorice ars sit.*] Hac de re disputatur apud Ciceronem ab Antonio & Crasso libro primo de Oratore. *Idem.*

2 *Cicero verb.*] Cicero libro primo de Inventionem ait civilis rationis partem esse artificiosam eloquentiam, quam *rhetoricam* vocant. *Idem.*

3 *Stoici & Peripatetici.*] Principes Stoicorum de *rhetorica* scripserunt, ut Zeno, Chrysippus, Cleanthes, Diogenes. principes item Peripateticorum, ut Aristoteles, Theophrastus, Critolaus, qui testantur *rhetoricam esse artem*. *Idem.*

L

I *Materie*

quidem, & texendi, & è luto vasa ducendi *artem* putet, *rhetoricen* autem, maximum ac pulcherrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet, *sine arte* venisse? Equidem illos qui contra disputarunt, non tam id sensitse quod dicerent, quam exercere ingenia. ¹ materiae difficultate credo voluisse: ² sicut Polycratem cum Busirim laudaret, & Clytemnestram: quanquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem quæ est habita contra Socratem, dicitur. Quidam naturalem esse *rhetoricen* volunt, & tamen adjuvari exercitatione non diffitentur: ut in libris Ciceronis de ³ Oratore dicit Antonius *observationem* quandam esse, *non artem*. Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est positum; sed ut Antonii persona fervetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lyfias videtur: cujus sententiæ talis defensio est, quod indocti & barbari & servi pro se cum loquuntur, aliquid dicant simile principio, *narrent, probent, refutent*, & (quod vim habeat epilogi) *deprecentur*. Deinde adjiciunt ⁴ illas verborum cavillationes, *Nihil quod ex arte fiat, ante artem fuisse*: atqui dixisse homines pro se, & in alios semper: doctores artis, sero jam & circa Tifiam & Coraca primum repertos. orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porro quando cœperit hujus rei doctrina, non laboramus exquirere: quamquam apud Homerum, & præceptorem ⁵ Phœnicem tum agendi tum etiam

¹ *Materiae difficultatem.*] Solent docti sibi proponere materias infames & inopinabiles, ut amplius exerceant ingenium illic, quam in re probabili. *Idem.*

² *Sicut, Polycratem.*] Polycrates Atheniensis fuit, qui inopia coactus est in Cypro sophistam agere. *Laudavit Busirim*: quam orationem Isocrates in Busiride damnat, ac Polycrati exemplum præscribit, quod in laudando Busiride sequi debeat. *Idem.*

³ *Oratore.*] Libro I.

⁴ *Illas verborum cavillationes.*] *Cavillationes* appellat argumenta sophistica quæ fallunt & imponunt, cujusmodi est hoc. nam in oratione est homonymia, sitne scilicet ea pro quacunque locutione accipienda, an vero pro artificiosa. quocirca distinguet Fabius. *Turneb.*

⁵ *Phœnicem.*] Lib. 9. Iliados in trium ducum legatione ad Achillem, Phœnix se fatetur esse Achillis præceptorem & eloquendi & agendi. *Idem.*

etiam loquendi, & ¹ oratores plures, & omne in tribus du-
cibus orationis genus, & certamina quoque proposita elo-
quentiæ ² inter juvenes, invenimus: quin in cælatura ³ cly-
pei Achillis & lites sunt, & actores. Illud admonere satis
est, *omnia quæ ars consummaverit, ⁴ à natura initia duxisse:*
aut tollatur *medicina* quæ ex observatione salubrium atque
his contrariorum reperta est, & ut quibusdam placet, ⁵ *to-
ta constat experimentis.* Nam & vulnus deligavit aliquis ante-
quam hæc ars esset: & febrem quiete & abstinence, non
quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coëgerat,
mitigavit. Nec *fabrica* sit *ars*: casus enim primi illi sine ar-
te fecerunt. Nec *musica*: cantatur ac saltatur per omnes
gentes aliquo modo. Ita si *rhetorice* vocari debet sermo qui-
cunque fuisse eam antequam esset *ars*, confitebor. Si vero
non quisquis loquitur, orator est, & tum non tanquam
oratores loquebantur: necesse est *oratorem factum arte*, nec
ante artem fuisse fateantur. Quo illud quoque excluditur
quod dicunt, non esse artis id quod faciat qui non didicerit:
dicere autem homines & qui non didicerunt. Ad cujus rei
confirmationem afferunt ⁶ Demadem remigem ⁷ & Æschin-
em hypocritem oratores fuisse falso. Nam neque orator
esse qui non didicit, potest: & hos fero potius quam nun-
quam didicisse quis dixerit: quanquam Æschines ab initio sit
verfa-

¹ Oratores plures.] Ut Iliados 3. Lam-
pum, Clytium, Antenorem scribit ora-
tores esse Homerus. Idem.

² Inter juvenes.] Ut de Thoante, quem
Homerus scribit in certaminibus & li-
tibus apud Ætolos nullis inferiorem
fuisse. Idem.

³ Clypei Achillis.] Homerus lib. 18.
Iliados Clypeum Achillis describit,
quem Vulcanus fecit: in cujus cælatura
cum alia pleraque sculpta fuisse dicit,
tum actores de pecunia pro cade pen-
denda litigantes. Idem.

⁴ A natura initia duxisse.] Hæc res
tractatur à Platone in Menone, & à

Rodolpho Agr. cap. 5. lib. 2. Idem.

⁵ Tota constat experimentis.] Serapion
sola putavit experientia medicinam
constare citra rationem: quem multi
secuti sunt, qui vocati sunt *Empirici*.
Idem. Tota constat experimentis.] Corn.
Celsus, in præfat. lib. de med.

⁶ Demadem remigem.] Demades ora-
tor Atheniensis, nautæ filius fuit, nec à
patre ad rhetores est missus, sed remex
factus. Turneb.

⁷ Et Æschinem hypocritem.] Æschin-
es filius Atrometi literatoris, primum
hypocrita fuit, postea *scriba*, postremo
rhetor. Idem.

versatus in literis, ¹ quas pater ejus etiam docebat: Demadem neque non didicisse certum sit, & continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantumscunque postea fuit, fecisse. Nam id potentissimum discendi genus est. Sed præstantiorem, si didicisset futurum fuisse dicere licet. ² Neque enim orationes scribere est ausus ut eum multum valuisse in dicendo sciamus. ³ Aristoteles, ut solet, quærendi gratia, quædam subtilitatis suæ argumenta excogitavit in Gryllo: sed idem & *de arte rhetorica* tres libros scripsit, & in eorum primo non artem solum eam fatetur, ⁴ sed ei particulam civilitatis, ⁵ sicut Dialecticis, assignat. Multa Critolaus contra, multa Rhodius ⁶ Athenodorus. Agnon quidem detraxit sibi inscriptione ipsa fidem, qua rhetorices accusationem professus est. Nam de Epicuro, qui disciplinas omnes fugit, nihil miror. Hi complura dicunt, sed ex paucis locis ducta. Itaque potentissimis eorum breviter occurram, ne in infinitum quæstio evadat. Prima his argumentatio *ex materia* est. Omnes enim artes ajunt habere *materiam*, quod est verum: rhetorices *nullam esse propriam*: quod esse falsum in sequentibus probabo. Altera est calumnia, ⁷ nullam artem falsis assentiri opinionibus, quia constitui

¹ *Quas pater ejus.*] Atrometes. hoc exprobrat Æschini Demosthenes, Demades autem nautæ filius fuit, & ipse nauta primum, mox rhetor, quem negat orationem ullam scriptam emittere voluisse. *Camevar.*

² *Neque enim orationes.*] Demades extemporali facultate multum valuit, cum Demosthenes nihil unquam diceret nisi præmeditatus. Demadem tamen nihil scripsisse testatur Cicero. *Turnebus.*

³ *Aristoteles.*] Aristoteles singularem librum *de rhetorica*, nomine *Gryllum*, scripsit, à Gryllo filio Xenophontis. illic conatur probare, *rhetoricam* non esse artem. *Idem.*

⁴ *Sed ei particulam civilitatis.*] Vide Gebhard. Crepund. libro 2. capite 13.]

pag. 90.

⁵ *Sicut Dialecticis.*] Legendum est, *sicut dialectices.* nam Aristoteles cum scribat artificiales probationes aut morales esse, aut patheticas, aut rationales: & illas rhetoricam ait à civilitate mutuari, has vero à dialectica, atque ita rhetoricam esse particulam civilitatis & dialectices. *Turneb.*

⁶ *Athenodorus.*] Suspicio Athenodorum hunc philosophum fuisse Stoicum, qui tempore Augusti Cæsaris floruit, & Romæ aliquandiu dixit, ut scribit Suidas. *Idem.*

⁷ *Nullam artem falsis assentiri, &c.*] Artes comparatæ sunt ad verum inveniendum, ut item *rhetorice*: quæ quamquam interdum fallit, nunquam tamen fallitur, sed veritatem tenet. *Idem.*

I Ut

stitui sine præceptione non possit, quæ semper vera sit: *rhetoricen* assentiri falsis: non esse igitur artem. Ego *rhetoricen* nonnunquam dicere falsa pro veris confitebor, sed non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diversum est, ipsi quid videri, & ut alii videatur, efficere. nam & imperator falsis utitur sæpe: ¹ ut Hannibal, cum inclusus à Fabio, sarmentis circa cornua bouum deligatis, incensisque, per noctem in adversos montes agens armentata, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit, ipse quid verum esset, non ignoravit. Nec vero ² Theopompus Lacedæmonius, cum permutato cum uxore habitu è custodia ut mulier evasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Item orator cum falso utitur pro vero scit esse falsum, eoque se pro vero uti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. ³ Nec Cicero cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor cum vi artis suæ efficit ut quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit. ⁴ Ajunt etiam, *omnes artes habere finem aliquem propositum, ad quem tendant*: hunc modo nullum esse in rhetorice, modo non præstari eum qui promittatur, mentiuntur. Nos enim esse finem jam ostendimus, & quis esset diximus. Præstabit hunc semper orator, semper enim bene dicet. Firmum autem hoc quod opponitur, adversus eos fortasse sit qui persuadere finem putaverunt. Noster orator arsque à nobis finita, non sunt posita in eventu. Tendit quidem ad victoriam qui dicit: sed

¹ *Ut Hannibal.*] Hannibal inter oppidum Casilinum & Calliculam montem à Fabio Maximo inclusus, hoc stratagemate evasit, & præsidium Fabii fugavit. *Idem. Ut Hannibal.*] Liv. lib. 3. tertiæ Decadis.

² *Theopompus.*] De Minyis hoc scribit Herodot. in Melpomene. Et est exemplum apud Valer. lib. 4. cap. 6. *Camerar.*

³ *Nec Cicero.*] Hoc fit per *ὑπόπληξιν*

ὑπόπληξιν. id est, *aberrationem*, quæ est huiusmodi dicendi ratio, qua differendo, obscurando, tergiversando iudicem in errorem trahimus. quod Cic. facit in causa Cluentii, qui reus erat veneficii. *Turneb.*

⁴ *Ajunt etiam, &c.*] Hoc argumentum dissolutum est facile, præsertim statuenti *finem esse rhetorices, bene dicere.* nam orator semper bene dicit. *Idem.*

sed cum bene dixit, etiam si non vincat, id quod arte continetur, effecit. Nam & gubernator vult salva nave in portum pervenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, ¹ *Dum clavum rectum teneam.* ² Et medicus sanitatem ægri petit: si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ fine non excidit. Ita oratori bene dixisse *finis est.* Nam est *ars* ea, ut post ³ paulum clarius ostendemus, ⁴ *in actu posita, non in effectu.* Ita falsum erit illud quoque quod dicitur, *Artes scire quando sint finem consecuta, rhetoricen nescire.* Nam se quisque bene dicere intelligit. Uti etiam vitiis rhetoricen, quod ars nulla faciat criminantur: quia & falsum dicat, & affectus moveat. Quorum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec vitium. ⁵ Nam & mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est: & affectus, si aliter ad æquitatem perducere iudex non poterit, necessario movebit orator. ⁶ Imperiti enim judicant, & qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. ⁷ Nam si mihi sapientes iudices dentur, sapientum conciones, atque omne concilium, nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta, falsique testes perquam sit exiguus eloquentiæ locus,

¹ *Dum clavum rectum teneam.*] Ajunt esse hemistichium versus Enniani, *Dum clavum rectum teneam, navimque gubernem.* Significat autem parcemia, *neminem esse culpandum, modo officio suo fungatur, & qui præstet quod ars promittit.* Idem.

² *Teneam.*] Eras. in Chiliad.

³ *Et medicus sanitatem.*] *Sanitas simpliciter medicinæ finis non est, sed quatenus ars valet sanitatem tueri, est finis medicinæ.* Turneb.

⁴ *Paulum.*] Cap. seq.

⁵ *In actu posita.*] *Ars est posita in actu, quæ in actione consistit, & post actionem opus non relinquit: in effectu*

vero, quæ post actionem relinquit opus consummatum. Idem.

⁶ *Nam & mendacium.*] Plato in Hippia sive de mendacio, licere ait aliquando mentiri, dum res contra virtutem & honestatem non sit. à qua opinione non abhorret Origenes & Hieronymus, *dum mendacium sit officiosum, & à pietate proficiscatur.* Idem.

⁷ *Imperiti.*] Docet Fab. plerunque rura iudices mittere in centurias. Idem.

⁸ *Nam si mihi, &c.*] Tacitus quoque in dialogo ait, si bene forent instituta Resp. tum eloquentiæ locum in illis non futurum, ut apud Lacedæmonios & Cretenses. Idem.

I Plurima

locus, qui prope in sola delectatione ponatur. Sin & audientium mobiles animi, & tot malis obnoxia veritas: arte pugnandum est: & adhibenda quæ profunt. Nec enim qui recta via depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu potest.

¹ Plurima vero ex eo contra *rhetoricen* cavillatio est, quod ex utraque causæ parte dicatur. Inde hæc, *Nullam esse artem sibi contrariam*, *rhetoricen esse contrariam sibi*. *Nullam artem destruere quod effecerit*: accidere hoc *rhetorices* operi.

Item, *Aut dicenda eam docere aut non dicenda*: itaque vel per hoc non esse artem, quod non dicenda præcipiat: vel per hoc, quod cum dicenda præceperit etiam contraria his doceat.

² Quæ omnia apparet de ea *rhetorice* dici, quæ sit à bono viro atque ab ipsa virtute sejuncta: alioqui ubi injusta causa est, ibi *rhetorice* non est: adeo ut vix ³ ex admirabili quodam casu possit accidere, ut ex utraque parte orator, id est vir bonus dicat. Tamen quoniam hoc quoque in rerum naturam cadit, ut duos sapientes aliquando justæ causæ in diversum trahant, quando etiam pugnaturus eos inter se, si ratio ita duxerit, credunt. respondebo propofitis. ⁴ atque ita quidem, ut appareat hæc adversus eos quoque frustra excogitata, qui malis moribus nomen oratoris indulgent. Nam *rhetorice non est contraria sibi*. Causa enim cum causa, ⁵ non illa secum ipsa componitur. Nec si pugnent

inter

¹ *Plurima vero.*] Plures simul contradictiones congerit Fabius, quod ab eodem principio manant. ita enim ars præscribit. porro quod *rhetoricam* ajunt esse sibi contrariam, falsum est. nam quanquam contrariorum est eadem disciplina & ars, non tamen sequitur artem esse contrariam. Hæc eadem argumenta valent adversus dialecticam, si probare velis eam non esse artem, cum in ea ex utraque parte dicatur. *Idem.*

² *Quæ omnia, &c.*] Ante justam argumentorum solutionem, utitur remotione, atque hæc argumenta ad suum dogma nihil pertinere docet. nam ut malus orator utranque causam, tum justam tum injustam, suscepturus sit,

non tamen bonum oratorem esse suscepturum nisi justam causam. *Idem.*

³ *Ex admirabili quodam casu.*] Hæc duntaxat accidere potest in causis ambigui utrinque juris & controversi ex æquo: alioqui ab altera tantum parte dicet orator, id est, *vir bonus*. *Idem.*

⁴ *Atque ita quidem.*] Superiores objectiones Stoicorum fere erant, quorum est etiam hoc dogma, posse sapientes opinionibus inter se dissidere: & si justa utrinque causa fuerit, posse pugnare: quod multo magis est oratori concedendum. *Idem.*

⁵ *Non illa secum ipsa componitur.*] Metaphora est ducta à compositionibus gladiatorum, quando gladiatorum pa-

inter se qui idem didicerunt: idcirco ars, quæ utrique tradita est, non erit. Alioqui nec armorum, quia sæpe gladiatores sub eodem magistro eruditi, inter se componuntur. Nec gubernandi, quia navalibus præliis gubernator est gubernatori adversus. Nec imperatoria, quia imperator cum imperatore contendit. Item non evertit opus rhetorice quod efficit. neque enim positum à se argumentum solvit orator, sed ne rhetorice quidem: quia apud eos qui in persuadendo finem putant, aut si quis (ut dixi) casus, duos inter se bonos viros composuerit, verisimilia quærentur. ¹ Non autem siquid est altero credibilius, id ei contrarium est, quod fuit credibile. Nam ut *candido candidius* & *dulci dulcius non est adversum*, ita *nec probabili probabilius*. Nec præcipit unquam non dicenda, nec dicendis contraria, sed quæ in quaque causa dicenda sunt. ² Non semper autem etiam si frequentissime, tuenda veritas erit, sed aliquando exigit communis utilitas, ut etiam falsa defendantur. Ponuntur hæc quoque in secundo Ciceronis de oratore libro contradictiones, *Artem earum rerum esse quæ sciuntur*, oratoris omnem actionem ³ opinione, non scientia contineri: quia & apud eos dicat qui nesciant, & ipse dicat aliquando quod nesciat. Ex his alterum, id est an sciat iudex de quo dicitur, nihil ad oratoris artem alteri respondendum, *Ars earum rerum est, quæ sciuntur*. Rhetorice ars est bene dicendi, bene autem dicere scit orator. Sed nescit an verum sit quod dicit. ⁴ Ne hi quidem qui ignem aut aquam, aut quatuor elementa

ria inter se committuntur & comparantur, ut in arena decertent. *Idem.*

¹ *Non autem siquid, &c.*] Contraria non sunt in intentione, aut in eo quod est magis aut minus, sed in tota naturæ diversitate. itaque si actor verisimiliter dixerit, defensor verisimiliter, hæc non sunt contraria, nec se destruant. *Idem.*

² *Non semper autem, &c.*] Quoniam *dicenda* dupliciter accipi possunt, ut ad utilitatem causæ referantur, aut ad ho-

nestatem, subjunct etiam licere interdum falsa defendi. *Idem.*

³ *Opinione, non scientia.*] *Opinio* est assensus formidolosus & dubius: *scientia* vero certa & indubitabilis, qualis esse debet in arte. *Idem.*

⁴ *Ne hi quidem qui ignem.*] Heraclitus ignem rerum omnium esse principium posuit, & aliquando mundum in *καταπύρωσιν*, id est, *conflagrationem* destitutum. *Idem.*

I Corpora

elementa aut ¹ corpora infecabilia esse, ex quibus res omnes initium duxerunt, tradunt: nec qui intervalla fiderum, & mensuras solis ac terræ colligunt: disciplinam tamen suam, *artem* vocant. Quod si ratio efficit, ut hæc opinari, sed propter vim probationum scire videantur: eadem ratio idem præstare oratori potest. Sed an caussa vera sit, nescit. Ne medicus quidem an dolorem capitis habeat qui se pati dicet: curabit tamen tanquam id verum sit, & erit ars medicina.² Quid quod *rhetorice non utique propositum habet semper vera dicendi, sed semper verisimilia?* scit autem esse verisimilia quæ dicit. Adjiciunt his qui contra sentiunt, quod sæpe quæ in aliis litibus impugnarunt actores caussarum, eadem in aliis defendant. Quod non artis, sed hominis est vitium. Hæc sunt præcipua quæ contra rhetoricen dicantur: alia & minora, & tamen ex his fontibus derivata. Confirmatur autem eam *esse artem*, breviter. Nam sive (ut Cleanthes voluit) *ars est* ³ *potestas viam ac ordinem efficiens*: esse certe viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitaverit: sive ille ab omnibus fere probatus finis observatur, ⁴ *artem constare* ex præceptionibus consentientibus & coexercitatis ad finem vitæ utilem: jam ostendimus nihil non horum in rhetorice inesse. Quid quod & ⁵ *inspectione & exercitatione*, ut artes cæteræ, constat? Nec potest ars non esse, si ars est dialectice, quod fere constat: ⁶ *cum ab ea specie magis quam*

¹ *Corpora infecabilia.*] Hæc opinio fuit Leucippi & Democriti, quam postea arripuit Epicurus. *Idem.*

² *Quid quod Rhetorice, &c.*] Videtur hoc pugnare cum superioribus. nam Celsum reprehendebat Fabius, quod dicebat *oratorum simile tantum veri quæverere*. sed solutu hoc est facile. nam vera pleraque sunt etiam verisimilia. *Idem.*

³ *Ars est potestas viam ac ordinem.*] In vetustis quibusdam codicibus & scriptis & impressis legitur, *potestas via, id est ordine efficiens.*

⁴ *Artem constare ex præceptionibus, &c.*]

Hæc definitio ex Græco est translata, ideoque durioribus verbis enunciata, quanquam non *præceptionibus*, sed *perceptionibus* legendum videtur, ut antea quoque. *Turneb.*

⁵ *Inspectione & exercitatione.*] Dux sunt partes omnium artium: *inspectio*, quæ est rerum perpensio & *contemplatio*: & *exercitatio*, quæ est ipsa actio. *Idem.*

⁶ *Cum ab ea specie.*] Nam species sunt *rhetorica & dialectica*, logices, id est, artis sermocinalis: quocirca genere sunt eadem. & alioqui, ut docet Aristoteles,

quam genere differat. ¹ Sed nec illa omittenda sunt, qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem: & in eo quod qui didicerit, melius faciat, quam qui non didicerit, esse artem. Atqui non solum doctus indoctum, sed etiam doctior doctum in rhetorices opere superabit, neque essent ejus aliter tam multa præcepta, tamque magni qui docerent. Id quod cum omnibus confitendum est, tum nobis præcipue qui rationem dicendi à bono viro non separamus.

les, utriusque eadem est materia, ut duntaxat peculiari quadam re differant. Idem.

¹ Sed nec illa.] Hoc argumentum sumptum est ex initio Rhetorices ad Theodecten. Idem.

C A P. XVIII.

Generalis artium divisio, & ex quibus sit rhetorica.

19 **C**UM sint autem artium aliæ positæ in inspectione, id est cognitione & æstimatione rerum, ¹ qualis est *Astrologia*, nullum exigens actum sed, ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ *θεωρητικὴ* vocatur: ² Aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, & ipso actu perficitur, nihilque post actum operis, relinquit quæ *πρακτικὴ* dicitur, qualis est *saltatio*: Aliæ in effectu, quæ operis quod oculis subjicitur, ³ consummatione finem accipiunt, quam *ποινητικὴ* appellamus, qualis est *pictura*: fere judicandum est *rhetoricen* in actu consistere. Hoc enim quod est officii sui perficit. atque ita ab omnibus dictum est. Mihi autem videtur etiam

Constituto genere, ex arte est genus in differentias partiri, ut scias sub qua specie sit collocandum id de quo quæras. itaque colligit *rhetoricam* artem esse activam, nonnihil tamen reliquis artibus assumere. Turneb.

¹ Qualis est *Astrologia*.] Ita denominantur artes à majori parte: alioqui si propius inspicias, in omnibus intelliges esse speculationem & actionem. Idem.

² Aliæ in agendo.] Rodolphus Agr. dividit artes in *theoreticas*, *practicas*, & *logicas*: ac sub practica complectitur & *ποινητικὴν*. Galenus vero quartam etiam efficit artem, quam appellat *κρητικὴν*, quæ non est in opere, sed in rei alicujus adeptione, cujusmodi est *venatoria*. Idem.

³ Consummatione finem accipiunt.] In script. codicib. legitur, *consummationem non finem accipiunt*.

1 In

ex illis cæteris artibus multum assumere. Nam & potest aliquando ipsa res inspectione esse contenta. Erit enim *rhetorice*¹ in oratore etiam tacente: & si desierit agere, vel proposito vel aliquo casu impeditus, non magis desinet esse orator, quam Medicus, qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus etiam ex secretis studiis fructus, ac tum pura voluptas literarum, cum ab actu, id est opera recesserunt,² & contemplatione sui fruuntur. Sed effectivè quoque aliquid simile scriptis orationibus, vel historiis (³ quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus) consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus ejus usus actu continetur, atque est in eo frequentissima, dicatur *activa*, vel *administrativa*. Nam & hoc ejusdem rei nomen est.

¹ *In oratore etiam tacente.*] Nulla est ars, quantumvis in actu posita, quæ non aliquid habeat speculationis. & certe cum artes sint posita in habitu potius quam actu, orator etiam tacens rhetoricen habebit. *Turneb.*

² *Et contemplatione sui fruuntur.*] Nam ipse actus potius ad corpus refertur, contemplatio vero & commentatio ad

animum: inde porro opus manat: quare maxima artis portio in contemplatione est. *Idem.*

³ *Quod ipsum opus, &c.*] Cic. lib. 2. de orat. imprimis oratorium esse censet, eleganter historiam scribere. quod etiam tradit lib. primo de Legibus. *Idem.*

C A P. XIX.

Utra plus conferat eloquentiæ, ars, an natura.

SCIO quæri etiam, *naturane* plus ad eloquentiam conferat, *an doctrina*. Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus orator nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse in hoc loco quæstionem velimus. ²⁰ Nam si parti utrilibet

Quæstio hæc ex superioribus pendet, nam cum refutarit eos qui in natura ponebant, probavitque necessariam esse artis cognitionem, postquam rhetoricam esse artem probavit, merito hac de re quærit. de qua ita statuit, ut mediocres oratores plus naturæ de-

beant, consummati plus doctrinæ. *Turnebus.*

¹ *Nam si parti.*] Hæc quæstio tractatur à Cicero lib. primo de orat. & à Platone in Phædro. hanc porro sententiam Fab. duxit ex oratione Cic. pro Archia. *Idem.*

I Parium

utrilibet omnino alteram detrahas, *natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit.* Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque majus adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere quam naturæ putabo, sicut terræ nullam fertilitatem habenti, nihil optimus agricola profuerit: è terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur. At in solo fecundo plus cultor quam ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex molari lapide conatus esset excludere, ¹ Parium marmor mallet rude: at si illud idem artifex expolisset, plus in manibus fuisset, quam in marmore. ² Denique *natura materia, ars doctrina est. hac fingit, illa fingitur.* Nihil ars sine materia: materiae etiam sine arte pretium est. *Ars summa, materia optima melior.*

¹ Parium marmor.] Paros insula est in Ægæo mari, quæ candidissimum habet marmor, quod *lychnium* appellant, quia ad lucernam effoditur. *Idem.*

² Denique natura.] Naturam cum materia comparamus, doctrinam cum forma, quæ materiae addit expolitionem, & materia est nobilior. *Idem.*

C A P. XX.

An virtus sit rhetorice.

²¹ **I**LLa quaestio est major, an ex mediis artibus, quæ neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus secundum mores utentium fiunt, habenda sit rhetorice: an sit, ut compluribus etiam philosophorum placeat, ¹ virtus. Equidem illud quod in studiis dicendi plerique exercuerunt & exercent, aut *nullam artem*, quæ ² *ἀρετή* nomi-

HÆc etiam quaestio ex cap. decimo septimo & decimo octavo pender. nam plerique malam esse rhetoricam putarunt. colligit tamen Fabius ex Stoicorum opinione *rhetoricam esse virtutem.* Turneb.

¹ Virtus.] Duplices sunt Aristoteli virtutes, *intellectivæ*, quæ in veri cognitione rerumque effectione versantur, quo modo rhetorica virtus est, cum sit

ars: Aliæ vero *morales*, quæ sunt in voluntate & appetitu probisque actionibus, quo modo *virtutem esse rhetoricam* probat Fabius. *Idem.*

² *Αρετή*,] Arist. lib. 6. eth. *ἀρετή* arti contrariam esse ait, esseque habitum qui falsa ratione aliquid hoc modo agendum suadeat: qualis fuit in quibusdam rhetoribus, quorum Fab. meminit cap. 12. lib. 2. *Idem.*

¹ Quam

nominatur, puto (multos enim video, sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes) aut *malam quasi artem* ¹ quam *κακωτεχνίαν* dicimus. Nam & fuisse multos, & esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem converterunt. ² *Μαλωτεχνία*, quoque est quædam, id est supervacua artis imitatio, quæ nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem: qualis illius fuit qui grana ciceris ex spatio distante missa, in acum continuo & sine frustratione inferebat: ³ quem cum spectasset Alexander, donasse dicitur ejusdem leguminis modio. Quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum. ⁴ His ergo comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, ætatem multo studio ac labore consumunt. Verum hæc quam instituire conamur, & cujus imaginem animo concepimus, quæ bono viro convenit, quæque est vera rhetorice, virtus erit. Quod philosophi quidem ⁵ multis & acutis conclusionibus colligunt: mihi vero etiam planiore ac proprie nostra probatione videtur esse perspicuum. Ab illis hæc dicuntur, Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quæ pars ejus ⁶ *prudentia* vocatur, eadem in dicendis

¹ *Quam κακωτεχνίαν dicimus.*] Sunt hæc tria vitia veris artibus opposita: quocirca ea Fabius removeret à rhetorica. *κακωτεχνία* fuit, si Platoni credimus, in sophistis. Eadem est in calumniatoribus, prævaricatoribus, quadruplatoribus, rabulis. *Idem.*

² *Μαλωτεχνία.*] Cum prudentia, fit (ut inquit Cic.) in veri cognitione, eadem præscribit ne in rebus obscuris, nimium difficilibus, non necessariis, nos occupemus, quod est *μελωτεχνίας*. hoc vitio laborant qui se in nugis sophisticis hodie exercent. *Idem.*

³ *Quem cum spectasset Alexander.*] Hæc chria est; qua Alexander significavit *vanam esse artem ex præmii vanitate.* *Idem.*

⁴ *His ego.*] Fabius hos declamatores reprehendit cap. undecimo, ubi statuit declamationes veris causis debere esse quam simillimas. idipsum etiam reprehenditur à Dionysio Halicarnasseo in cap. de vitiis declamationis. *Idem.*

⁵ *Multis & acutis conclusionibus.*] Appellat Fabius *conclusiones*, argumentationes syllogisticas, quæ propositis duabus propositionibus inferunt complexionem: talia erant consecutaria Stoicorum, ut vocat Cic. lib. 4. de finibus. *Idem.*

⁶ *Prudentia.*] Est enim in delectu agendorum & non agendorum. Porro virtus omnis constantia quædam est, ut probat Cic. in Tuscul. *Idem.*

dicendis ac non dicendis erit. ¹ Et si virtutes sunt, ad quas nobis etiam ante quam doceremur, initia quædam ac semina sunt concessa natura, ut ad justitiam, cujus rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago: nos certe sic esse ab initio formatos, ut possemus orare pro bonis, etiam si non perfecte, tamen ut inessent quædam (ut dixi) seminæ ejus facultatis, manifestum est. Non eadem autem his natura artibus est, quæ à virtute sunt remotæ. ² Itaque cum duo sint genera ³ orationis, altera *perpetua*, quæ *rhetorice* dicitur: altera *conciſa*, quæ *Dialectice*: quas quidem Zeno adeo conjunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicatæ diceret similem, etiam ⁴ disputatrix virtus erit: adeo de hac, quæ speciosior atque apertior est, nihil dubitabitur. Sed plenius hoc idem atque apertius intueri ex ipsis operibus volo. ⁵ Nam quid orator *in laudando* faciet, nisi honestorum ac turpium peritus? aut *in suadendo*, nisi utilitate proposita & perspecta? aut *in judiciis*, si justitiæ sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem, cum sæpe contra turbulentas populi minas, sæpe cum periculosa potentium offensa, nonnunquam, ⁶ ut in judicio Miloniano, inter circumfusa militum arma dicendum sit: ut si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. ⁷ Quod si ea

¹ *Et si virtutes sunt.*] Stoici & Academicus dicebant nobis semina virtutum à natura innata esse, quæ si pateremur adolescere, ipsa natura ad beatam vitam nos perduceret. *Idem.*

² *Itaque cum duo sint, &c.*] Rodolphus Agricola asserit & perpetuam orationem & concisam esse dialectici & rhetoris, cum etiam rhetores utantur altercationibus: differre tamen putat probabilitate & ornatu dialectici orationem ab oratione rhetoris. *Idem.*

³ *Orationis.*] Vide Cicer. 2. de finib. in Orat. & in Partit.

⁴ *Disputatrix virtus.*] Fabius cap. 15. eos reprehendebat, qui *rhetoricam* verterent *oratricem*: in quod tamen vitium

videtur incidisse, cum dialecticam verterat *disputatricem*. sed hoc obiter factum est, ut potius res exprimeretur latine, quam vera vis nominis redderetur. *Turneb.*

⁵ *Nam quid orator.*] A locis finalibus trium causarum, *virtutem* probat *rhetoricam*. nam generis demonstrativi finis est *honestas, suavorii utilitas, judicialis aequitas*. *Idem.*

⁶ *Ut in judicio Miloniano.*] Judicio Miloniano Pompejus templa omnia præfidiis munivit, & omnes fori aditus: atque inter arma Ciceroni dicendum fuit. *Idem.*

⁷ *Quod si ea.*] Hoc argumentum non est satis efficax: constat enim *humony-*
mista.

si ea in quoque animalium est virtus, qua præstat cætera vel pleraque, ut in leone *impetus*, in equo *velocitas*: hominem porro *ratione* atque *oratione* ¹ excellere cæteris certum est: cur non tam in eloquentia quam in ratione virtutem ejus esse credamus? Recteque hoc apud Ciceronem differit Crassus. Est enim *eloquentia una quædam de summis virtutibus*. Est ipse ² Cicero in sua persona, cum ad Brutum in epistolis, ³ tum aliis etiam locis, virtutem eam appellat. At proœmium aliquando & narrationem dicit malus homo, & argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam & latro pugnabit acriter, virtus tamen erit fortitudo: & tormenta sine gemitu feret malus servus, tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. *Multa sunt eadem, sed aliter*. Sufficiant igitur hæc, quia de utilitate supra tractavimus.

nia. nam virtus naturalis est potentia in animalibus, in homine vero habitus.

¹ *Excellere.*] Aristot. Politicorum I. cap. 2.

² *Cicero.*] Cic. I. de Orat.

³ *Tum aliis etiam locis.*] Ut in *Partitionibus*, ubi dicit comitem esse sapientiæ & ministram rhetoricam, neque eam haberi posse sine scientia morali. Turneb.

C A P. XXI.

Quæ sit materia rhetorices.

Materia rhetorices quidam dixerunt esse *orationem*: ² quam sententiam ponit apud Platonem Gorgias. Quæ si ita accipitur ut sermo quacunque de re compositus, dicatur *oratio*, non materia, sed opus est: ut statuarii, *statua*. nam & oratio efficitur arte, sicut statua. ² Sin hac appellatione verba ipsa significari putamus, nihil hæc sine re-
rum

Materia dupliciter dicitur. aut enim est id circa quod cura est & consideratio artium, ut si diceret *orationem rhetorices esse materiam*: est etiam id in quod ars opus suum explicat: quo significatu hic accipi debet. ac certe Fab. colligit materiam rhetorices esse, res omnes ei ad dicendum subiectas. Turneb.

¹ *Quam sententiam ponit apud Platonem.*] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 2. c. 13. p. 90.

² *Sin hac appellatione.*] Distinguit Fabius vocem græcam ambiguam. nam *λόγος* orationem significat & *verbum*. utroque tamen modo falsa est opinio Gorgiæ. Turneb.

¹ *Alii*

rum substantia faciunt. Quidam *argumenta persuasibilia*: quæ & ipsa in parte sunt operis, & arte fiunt, & materia egent. Quidam *civiles questiones*: quorum opinio non qualitate, sed modo erravit. Est enim hæc materia rhetorices, sed non sola. Quidam, quia virtus sit rhetorice, *materiam ejus totam vitam vocant*.¹ Alii, quia non omnium virtutum materia sit tota vita, sed pleræque earum versentur in partibus, sicut *justitia, fortitudo, continentia*, propriis officiis & suo fine intelliguntur: rhetorices quoque dicunt in una aliqua parte ponendam: eique locum in ethice² *negotialem* assignant, id est, *περὶ τὰς ἐπιδημίας*. Ego (neque id sine auctoribus) materiam esse rhetorices judico, *omnes res quæcumque ei ad dicendum subjectæ erunt*. Nam Socrates apud Platonem dicere³ *Gorgiæ* videtur, *non in verbis esse materiam, sed in rebus*. Et in Phædro palam non in judiciis modo & concionibus, sed in rebus etiam privatis ac domesticis rhetorices esse demonstrat. Quo manifestum est hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et⁴ Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat *res quæ subjectæ sunt ei*, sed certas demum putat esse subjectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis, *Quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quæcumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur*. Atque adhuc alibi,⁵ *Verum enim oratori, quæ sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materia) omnia quæ sita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent*.⁶ Hanc autem quam nos *materiam*

VOCA-

¹ *Alii, quia non, &c.*] Variæ sunt vitæ rationes, quæ proprias quasdam habent virtutes & peculiare: ut alia virtus est religiosi, alia secularis. dividamus igitur *vitam in monasticam, æconomicam, & politicam*: in parte politice negotiâli rhetoricam, cum virtus sit, collocabimus. *Idem*.

² *Negotialem*.] Partem *negotialem* vocat, quæ circa lites, causas forenses &

civiles versatur. *Idem*.

³ *Gorgiæ*.] In *Gorgia*.

⁴ *Cicero*.] I. De Orat.

⁵ *Verum enim, &c.*] I. De Orat.

⁶ *Hanc autem*.] Quosdam obiter refutat, qui materiam hujusmodi propriam esse rhetorices negabant. appellat autem *rhetoricam circumcurrentem*, quia ambitu illius materiæ *Encyclopediam* complecti videtur, per quæ omnes artes irent. *Turn.*

vocamus, id est, res subjectas, quidam modo infinitam, modo non propriam rhetorices esse dixerunt: eamque artem *circumcurrentem* vocaverunt, quod in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de omni materia dicere eam fatentur: propriam habere materiam, quia multiplicem habeat, negant. Sed neque infinita est, etiam si est multiplex: & alia quoque artes minores habent multiplicem materiam, velut *architectonice*. Nanque ea in omnibus quæ sunt ædificio utilia, versatur. ¹ Et *calatura*, quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit. Nam *sculptura* etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præterea quæ supra dixi, complectitur. Neque protinus non est materia rhetorices, si in eadem versatur & alius. Nam si quæram quæ sit *materia statuarii*, dicetur *as*: si quæram quæ sit excusoris, id est, ejus fabricæ quam Græci ² *χαλκουλῶν* vocant, similiter *as* esse respondeant. Atqui plurimum à statuis differunt vasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio & exercitatio cum palæstrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei sit arte communis. Quod vero *de bono*, utili, justo differere, philosophiæ officium esse dicunt, non obstat. Nam cum philosophum dicunt, hoc accipi volunt, virum bonum. ³ Cur igitur oratorem, quem à bono viro non separo, in eadem materia versari mirer? cum præsertim primo libro jam ostenderit, philosophos omissem hanc ab oratoribus partem occupasse, quæ rhetorices propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia versentur. Denique cum sit *dialectices materia* de rebus subjectis disputare, sit autem dialectices oratio concisa, cur non eadem perpetuæ quoque materia videatur? Solet à quibus-

¹ Et *calatura*.] *Calatura* ars est quæ vasa aut suppellectilem ex metallis conflata per cœlum insculpit. *Turneb.* Et *calatura*, &c.] De hac nominum differentia videndus Joh. Brodæus *Miscell.* lib. 6. cap. 30. pag. 568. *Lamp. Critic.* part. 2.

² *Χαλκουλῶν* vocat.] *Χαλκουλῶν* Græcis plerunque significat *artem ferrariam*: nam *æris* nomine ferrum quoque appellant. Est etiam *excusoria*, quæ ex ære vel per constellationem vel per fabricam vasa conficit. *Turneb.*

³ *Cur igitur*.] In proœmio lib. 1.

quibusdam & illud poni, *Omniū igitur artium peritus erit orator, si de omnibus ei dicendum est.* ¹ Possem hīc Ciceronis respondere verbis, apud quem hoc invenio, *Mea quidem sententia nemo esse poterit omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus*: sed mihi fatis est ejus esse oratorem rei de qua dicet non inficium. Neque enim omnes causas novit, & debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoque, de quibus dicendum erit, interim discet: & de quibus didicerit, dicet. Quid ergo? non aut faber de fabrica melius, aut de musica musicus? Si nesciat orator quid sit de quo quæritur, plane melius. Nam & litigator rusticus illiteratusque de causa sua melius quam orator qui nescit quid in lite sit, dicet: sed accepta à musico, à fabro, sicut à litigatore, melius orator quam ipse qui docuerit. Verum & *faber cum de fabrica, & musicus cum de musica*, si quid confirmationem desideraverit, dicet: non erit quidem orator, sed faciet illud quasi orator: sicut cum vulnus imperitus deligabit, non erit medicus, sed faciet ut medicus. An hujusmodi res nec in laudem, nec in deliberationem, nec in judicium veniunt? Ergo cum de faciendo ² portu Hostiensi deliberatum est, non debuit dicere sententiam orator? Atqui opus erat ratione architectorum. Livores & tumores in corpore, ³ crudelitatis an veneni signa sint, non tractat orator? At est id ex ratione medicinae. ⁴ Circa mensuras & numeros non versabitur? Dicamus has

¹ *Possem hic Ciceronis, &c.*] Nonnihil ex superioris materiae ambitu constringit, quod Ciceronis imitatione facit: qui cum res omnes oratori subjecisset, permisit ut si quis vellet, aliquid circuncideret & amputaret ex infinita materia. *Turneb. Cicero.*] De orat. 1.

² *Portu Hostiensi.*] Julius Cæsar de construendo Hostiæ portu sæpe deliberavit, sed magnitudine operis est deteritus. Claudius demum Cæsar jactis magnis molibus, & submersa maxima

navi ad fundamenta jacienda, illic pulcherrimum portum extruxit. *Turnebus. Portu.*] Illum facere distinaverat Julius Cæsar. perfecit Claud. Imper.

³ *Crudelitatis an veneni signa.*] Cic. in oratione pro Cluentio hunc locum tractavit. est autem *cruditas, concoquendi debilitas.* *Turneb.*

⁴ *Circa mensuras.*] Socrates in Gorgia se irrisum fuisse dicit, quod suffragiorum calculos numerare non potuerit. hac de re egit Fab. in cap. de geometria. *Idem.*

has Geometriæ esse partes. Equidem omnia fere posse credo casu aliquo venire in officium oratoris: quod si non accidet, non erunt ei subjecta. Ita sic quoque recte diximus *materiam rhetorices esse omnes res ad dicendum ei subjectas*, quod quidem probat etiam sermo communis. Nam cum aliquid de quo dicamus accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam præfatione testamur. ¹ Gorgias quidem adeo rhetori de omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditoriis interrogari pateretur, qua quisque de re vellet. ² Hermagoras quoque dicendo materiam esse in causâ & in quæstionibus, omnes res subjectas erat complexus. Sed quæstiones si negat ad rhetorice pertinere, dissentit à nobis: si autem ad rhetorice pertinent, ab hoc quoque adjuvamus. Nihil est enim quod non in causam aut quæstionem cadat. ³ Aristoteles tres faciendo partes orationis, *judicialem, deliberativam, demonstrativam*, pene & ipse oratori subjecit omnia. nihil enim non in hæc cadit. Quæsitum à paucissimis etiam de instrumento est. *Instrumentum voco, sine quo formari materia, & in id quod velimus effici opus non possit.* Verum hoc ego non artem credo egere, sed artificem. Neque enim scientia desiderat instrumentum, quæ potest esse consummata, etiam si nihil faciat: sed ille opifex, ut cælator cælum, & pictor penicilla. ⁴ Itaque hæc in eum locum quo *de oratore* dicturi sumus, differamus.

¹ *Gorgias.*] Cic. 1. & 3. de Orator. item de finibus.

² *Hermagoras.*] Cujus sententiam citat lib. primo de Invent. Cic. & tamen arguit. *Turneb.*

³ *Aristoteles.*] In rhetoricis ad Alexandrum & ad Theodecten: adeoque

ferunt eum hujus divisionis esse inventorem. *Idem.*

⁴ *Itaque hæc.*] Instrumenta sunt oratoris, *lingua expedita, apta pronuntiatio, optima latera*: de quibus ager Fab. libro undecimo & duodecimo. *Idem.*

M 2

M. FAB.